This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


612.
B18
Digitized by Google

DE SAPORVM ET ODORVM DIFFERENTIIS, CAVSIS, ET effectionibus liber vnus, Auctore Ioanne Brauo Petrafitano Doctore Medico, & Scholæ Medicæ Salmanticensis publico professore.

C 12.8
3-281

Ad Illustrem admodum D. Andream Cordubam Collegam in Collegio Maximo Diui Bartholomæi, & Episcopatus Salmanticensis censorem & moderatorem.



CVM PRIVILEGIO.
SALMANTICÆ,
Excudebant hæredes Mathiæ Gastij.
ANNO. 1583.

Digitized by Google

POR quanto por parte de vos el Doctor Iuan Brauo Cathedratico de propriedad en la facultad de Medicina enel eſtudio y vniuerſidad de Salamanca, y vezino de ella, nos fue fecha relació, diziendo, que vos auiades compueſto en la dicha facultad, vn libro intitulado De ſaporũ & odorũ differentijs, cauſis, & effectionibus. En el qual auiades paſſado mucho trabajo, y ocupado os muchos meſes, y era vtil, prouechoſo, y cõuiniente para lo tocãte a la dicha facultad, del qual haziades preſentacion, y nos ſuplicauades vos mandaſſemos dar licencia, para q̃ vos o quien vueſtro poder tuuieſſe pudieſſe imprimir el dicho libro por el tiempo que nos fueſſemos ſeruido y vẽderle ſin que otro ninguno lo pudieſſe hazer, dando os para ello nueſtra real prouiſion en forma, o como la nueſtra merced fueſſe. Lo qual viſto por los del nueſtro cõſejo, por quãto enel dicho libro ſe hizo la diligẽcia q̃la prematica pornos agora nueuamẽte fecha diſpone, fue acordado q̃ deuiamos mandar dar eſta nueſtra cedula, en la dicha razõ, y nos tuuimos lo por biẽ. Por la qual vos damos licẽcia y facultad, para q̃ por tiẽpo de diez años primeros ſiguiẽtes, q̃ corrẽ y ſe quentã deſde el dia de la data deſta nueſtra cedula en adelante, vos, o la perſona q̃ para ello vueſtro poder ouiere,

Digitized by Google

yno otra persona alguna podays imprimir o ven-
der el dicho libro, que de suso se haze mencion.
Y por la presente damos licẽcia y facultad a qual-
quier impressor destos nuestros reynos, que vos
nombraredes, para que por esta vez lo pueda im-
primir, có q̃ despues de impresso, antes que se ven
da, lo traygais al nuestro consejo juntamente con
el original, que en el se vio, que va rubricada cada
plana, y firmado al fin del de Alonso de Vallejo
nuestro Escriuano de camara, y vno de los que en
el nuestro consejo residen, para que se corrija con
el, y se os tasse el precio, que por cada volumen
vuieredes de auer, y mandamos que durante el
dicho tiempo persona alguna sin vuestra licentia
no le pueda imprimir ni vender, so pena que el
que lo imprimiere, o vendiere, aya perdido y pier-
da todos y qualesquier libros, y moldes, y apare-
jos, que del tuuiere, y mas incurra en pena de cin-
cuenta mil marauedis por cada vez, que lo con-
trario hiziere. La qual dicha pena sea la tercia par-
te para el juez que lo sentenciare, y la otra tercia
parte para nuestra camara, y la otra tercia parte pa-
ra la persona que lo denunciare. Y mandamos
a los del nuestro consejo, Presidentes, y Oydores
de las nuestras audiencias, Alcaldes, Alguaziles de
la nuestra casa, y corte, y chancillerias, y a todos
los Corregidores, Asistente, Gouernadores, Al-
caldes mayores y ordinarios, y otros juezes y ju-
sticias qualesquier de todas las ciudades, villas, y
lugares de los nuestros reynos y señorios, assi a
los que agora son como a los q̃ seran de aqui ade-
lante

Digitized by Google

lante, que vos guarden y cumplan esta nuestra cedula y merced, que ansi vos hazemos, y contra el tenor y forma della, ni de lo en ella contenido, no vayan, ni passen, ni consientan yr ni passar en manera alguna so pena de nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra camara.
Fecha en Lisboa a 18. del mes de Março de 1582. años.

YO EL REY.

Por *mandado de su Magestad Antonio de Erasso.*

Digitized by Google

ERRATA
sic corrigito.

18	1	eiſdem vo	eiſdem		
24	13	ſtomachum	ſtomacho		
27	1	pituita	pituitam		
34	26	modicus	mordicus		
35	vlt.	habet	habent		
44	1	refrigidiori	frigidiori		
49	pen.	inſanis, in ſanis	51	12	ne nec
53	antep.	lubicrat lubricat	57	24	collata, colata
58	13	ciueres cineres	59	17	molle mole
60	1	exiſtimam	extimam		
61	pex.	amrao	amaro		
76	4	molliuntur	moliuntur		
92	17	ſapore	ſapor		
100	7	(ne	nec		
	15	(			
110	15	flauiores	flauior eſt		
116	20	hic hi	117	11	ex vt vt ex
123	14	num nuum	129	antep.	ſi ſit
135	3	& vt	138	15	admonemur mouemur
139	16	certæ certe	142	pen.	multò multo
144	pen.	ſentiis	ſentire		
147	3	reſtigerare	refrigerare		
161	25	ne	nec		
163	4	teuui	tenui		

Digitized by Google

YO Christoual de Leon, secretario del consejo de su Magestad, doy fee, que auiendose presentado ante los señores del consejo por el Doctor Brauo Cathedratico de medicina de la vniuersidad de Salamanca, vn libro intitulado, De Saporum & Odorum differentijs causis, & effectionibus, que con su licencia se imprimio le dieron licencia para que pueda vender cada libro en papel a tres marauedis el pliego en que le tasaron y mandaron que esta tassa se ponga al principio de cada libro, para que se sepa en lo que esta tassado, y para que dello conste de mandamiento de los dichos señores del consejo y pedimiento del dicho Doctor Brauo di esta fee que es fecha en Madrid, a quinze dias del mes de Iunio, de mil y quinientos y ochenta tres años.

Christoual de Leon.

Digitized by Google

IOAN. CHRI-STOPHORI CALVETI Stellæ ad Andream Cordubam Equitẽ clariſs. & vtriuſq; Iuris conſultiſsimum, Encomium.

Hinc odor, inde ſapor pulchro certamine laudes
Andrea Illuſtris tollit in aſtra tuas.
Florenti ex Sophia dotes odor explicat altæ
Mentis, & ingenij: corporis, atque animi.
At genus antiquum, & cognomẽ bellica in omne
Partum laude æuum fert Sapor vſque Polum.
Et gentis memorat fortiſsima facta vetuſtæ,
Quam canit Æolicis Corduba pulchra ſonis.
Quid Sapor, inquit odor, gentis præclara trophea
Cordubæ & in Mauros ſplendida facta refers?
Non laudem Andreas maiorũ ex fortibus actis,
Non nomen quærit, non decus inde petit.
Sed nitidis curat factis extendere famam,
Et virtute ſua linquere in orbe decus.
Hoc putat eſſe ſuum, hoc nomen contẽdit habere,
Hoc habet, hoc clarum dia Minerua dedit.
Præcinxit viridi flauentia tempora lauro,
Nam ius, vt digitos, inclytum vtrunque tenet.
Præclarum ille ſuum nomen per ſecla relinquet,

Quod

Digitized by Google

Quod nunquàm poterit parca abolere fera.
Aſſenſit ſapor, & ſuauem complexus odorem,
Viciſti, inquit, odor. Facta perenne manent.
Quæ virtus tribuit, quæ parta fuere labore,
Quæ vis excellens præſtitit ingenij.
Iam clarum ſpecimen ſapientiæ, & indolis altæ
Præbuit Andreas, indeq; nomen habet.
Non eget illuſtri præſtantum laude parentum,
Namque ſua Andreas nobilitate micat.
Sed iam mollis odor munus mittamus verque
Quod dat Ioannes Brauus odoriferum.
Quem Petrafita tulit fœcundo nobilis agro,
Quo gaudet liquidis Tormis amœnus aquis.
Qui vigili ſtudio, cura, duroq; labore,
Cimmerijs nomen vindicat à tenebris.
Atque academiam libris exornat acutis,
Qua Salmantica habet, ſplẽdidũ in orbe decus.
Quæ ſacræ eſt ſophiæ ſedes, quã Docta Minerua,
Phœbus, & alma Ceres, Aonidesq; colunt.
It muſis comes ille nepos facundus Atlantis,
Atque domum cithara Palladiam celebrat.
Sed me, teque ſuo ingenio innoteſcere fecit
Brauus, quem medicam Phœbus opem docuit.
Cui dedit herbarum Pæon cognoſcere vires,
Vt poſſet morbos pellere peſtiferos.
Quem voluit rerum naturæ exponere cauſas,

Et

Digitized by Google

Et cæli motus Vraniæ astriferi.
Sic veterum gemmis lucentibus ille Sophorum
Atque rosis ornat suaue, quod edit opus.
Hoc sapit, hoc redolet, floresq; emittit odores,
Quales nec gignit, nec niger Indus habet.
Hoc gratus Sapor, hoc fragrãs odor vndiq; cingit,
AEternumq; operi præbet vterque decus.
Depingitq; suis vtrunque coloribus ille,
Quid Sapor, & quid odor sit, quid vterq; ferat.
Distinguit pulchre alterũ ab altero, opesq; potẽtis
Naturæ arcanas explicat, atque docet.
Nec genera ille silet, nec tot discrimina odoris,
Nec quot iucundus continet ipse Sapor.
Hæc ex Hippocratis Coi, doctique Galeni
Et Pauli, & Celsi prorulit ille adytis.
Deprompsit pulchra ex diuino scita Platone
Atque ex facundo cive Stagira tuo.
Hoc dicat Andreæ illustri, claroque Saporis
Dulcis, & Assyrij Brauus odoris opus.
Vt puræ fidei, & veri sit pignus amoris,
Dum Tormis lymphas deferet in Durium.
Dum diues placidum spectabit Corduba Betim
Dumque Tagus naues aurifer accipiet.

Digitized by Google

ILLVSTRI

ADMODVM DOMINO

Andreæ Cordubæ, Collegæ in Collegio Maiori Sancti Bartholomæi, Salmanticensis Episcopatus censori meritissimo, viro scientia, genere & virtutibus clarissimo, Ioannes Brauus Medicus professor. S. P. D.

Occasione commentariorum in Hippocratis opus de ratione victus in morbis acutis, quos nunc excudendos paro, libellum quendam de Saporibus & Odoribus cõposui, vt ea, quæ ab Hippocrate in primis sententijs libri tertij dicuntur, in quibus de vinorum differentijs agit, facilius atque expeditius percipi possent. Non inserui autem

Digitized by Google

tem eum in enarrationes illas veritus proli
xitatem, & commentationem interrumpe-
re. Quare commodius mihi visum fuit, se-
orsim illū in libri fine apponere. Quod cùm
per amicos aliquot intellectum foret, petie-
runt à me, vt in publicum libellum emitte-
rem, nam operosum ipsis videbatur lentam
diuulgationem commentationum librorum
de ratione victus expectare. Quare vt i-
lico moras rumperem, & de Saporibus,
Odoribusq; opusculum in lucem proderem,
rogauerunt. Quibus ego complacere volens
commentarium hunc typis mandare decre-
ui, vt eo iam amici, & alij permulti, qui me-
dicinæ studio incumbunt, frui & commodè
vti possent. Verùm cogitanti mihi, cui pos-
sem labores istos offerre, occurristi tu, An-
dreas generosissime, cui opusculum hoc in-
scribere dignum putaui, tum ob maiorum
tuorum stemata, & generis, quo decoraris,
nobilitatem omnibus manifestam (ex Cor-
du-

Digitized by Google

dubarum enim & Carua aliumpræclara, & vetustissima stirpe ortus es) cùm etiam ob animi tui dotes, & virtutes egregias, quæ non secus ac pretiosissimæ in auro gemmæ, interfulgent, & splendent, quibus omnes, qui literas & bonas disciplinas sectantur, in tui amorem euocas, atque allicis, in eodemq; illos veluti glutine quodam retines, & diutius conseruas. Quo factum est, vt in Diui Bartholomæi collegio, eximio quidem & præstantissimorum virorum alumno, totoq; orbe terrarum celeberrimo, fueris receptus: & deinceps ab Illustrissimo Domino Hieronymo Manrico Episcopo Salmanticensi; nunquàm satis laudato inter doctos multos, & vita, & literis integerrimos, quibus Academia nostra abundat, & assiduè floret, censor ac iudex ad episcopatum eius gubernandum fueris selectus, quem tu ita probè regis, & sapienter dispensas, ac sanctè pieq; moderaris

raris, vt nihil vlterius desiderari queat. Accipe igitur læta fronte (vir maximè illustris) munusculum hoc, non quidem te tanto viro dignum, sed quale imbecille Brauitui vires promere ac parare potuerunt. Vale.

Digitized by Google

DE SAPORVM ET ODORVM DIFFERENtijs, cauſis & effectionibus, Liber vnus.

Auctore Ioanne Brauo Petrafitano Doctore medico, & ſcholæ medicæ Salmanticēſis publico profeſſore.

PRAEFATIO.

EX ſecundis omnibus qualitatibus pariter & ex tertijs nullæ ſunt, quæ medicamentorū temperamenta ita nobis oſtendant, & primas qualitates denotent, ac ſapores ipſi. Voco ſecundas qualitates tenuitatem, craſsitiem, raritatem, denſitatem, ſplendorem, opacitatem, grauitatem, leuitatem, & cæteras omnes, quæ in ſynceriſsimis elementis reperiuntur: quæque primò, nulliſq; alijs interuenientibus, ex primis confluunt, ac emanant. Tertias appello ſapores, odores, colores, mollitiem, atque duritiem, & alias huiuſmodi, quæ non in ſimplicium elementorum ſubſtantijs, ſed in miſtis paſsim inueniuntur. Inter has enim omnes in ſignificandis rerum temperamentis ſapores primatum obtinent, vixque non decipiunt;

Digitized by Google

ſed calorem indicantes, euidenter calorem indicant, & oſtendentes frigus, illud manifeſtò oſtendunt. Cùm per alias ſanè, quæ dictæ ſunt, qualitates, nullas medicamentorum vires certa coniectura aſſequi queamus: quandoquidem in ſingulis illarum innumeras contrarias qualitates caloris & frigoris quotidiè experiri licet, etiamſi, teſte Galeno, in quoque ſingulatim genere aut ſeminis, aut radicis, aut ſucci; ex colore indicatione quandam temperamenti ſumere liceat, vtpote cepa, ſcilla, vinum, quantò fuerint albidiora, tantò & minus ſunt calida: quæ verò ſubflaua, fuluaq; calidiora. Idem vſu venit tritico, milio, ochris, phaſelis, ciceri, ireos radici, aſphodelique aliiſque compluribus. In quoque enim genere in vniuerſum, eodem docente Galeno fulua, flaua, rubraq; omnia albis ſunt calidiora. Ex ſaporibus verò non ſolum intra genus ſpeciem vè, verùm etiam de ſpecierum ipſarum aut generis temperamentis iudicium verè nanciſcimur, dicente Galeno lib. de oculis medicinarum, virtutes maximè ſaporibus oſtendi, eoſque rerum, quibus inſunt, virtutem innuere. & lib. 2. de alimentorum facult. c. 61. dicebat, ſaporem oſtendere plantæ temperamentum. Vnde Auic. 1. parte canticorum, temperamentum haberi & cognoſci ex ſapore, & ex

In fine libri 4. de ſimpl. med. facul.

Par. 5. c. 1.

Tex. 27.

ration

Digitized by Google

ratione vera & sana verissimè asseruit. Atque hæc vna causa existit, cur de saporibus seorsim scribere curauerim. Altera fuit, quòd tractatio ista difficilis sit, & plurimas obtineat ambiguitates, ægrèq; solubiles nodos solutore & interprete egentes. Est etiam vtilis admodum & necessaria, cùm ad alia non pauca, tum maximè ad medicamentorum & alimentorũ opportunũ vsum. Quo circa Gal. lib. 1. de alimento. facult. Quartũ de simplicium medicamentorum facultatibus librum, in quo de omni saporum genere copiosissimè disseruit, necesse omnino esse cum perlegisse, dicat, qui ea, quæ in illo opere ab eo traduntur, est assequuturus. Atque hæ sanè occasiones aliæque, quas in præsentia silentio prætereo, me impulerũt ad hunc commentarium scribendum. Adieci autem in fine de odoribus tractationem propter conuenientiam, quã ipsi cum saporibus obtinent, & quia illorum cõsideratio plurimi est in medicina momẽti. Quod si peritiores alij huius floretissimæ Salmat. Academiæ in ista, quã suscepi, scribendi prouincia (difficillima quidem, & multis plena laboribus) se exercuerint, mequè ipsum antecelluerint, id animo placido lætoque feram, ac dicã, quod egregius vir ille Pædaretus protulit, qui, vt refert Plutarchus, cùm lectus non esset inter tre-

Occasiones huius libri scribendi.

Capit. 1. iuxta finẽ.

in apoth. thegm.

Digitized by Google

centos, qui ordo in ciuitate erat dignitate primus, hilaris ridensque digrediebatur; reuocatum autē Ephori rogauerunt, quid rideret? quod congratuler, inquit, ciuitati, quæ ciues me habeat trecentos meliores. Etsi quispiam indignum putet tam exiguum libellum typis mandare, sciat operis dignitatem non consistere in voluminis multa mole; sed in sententiarum veritate & grauitate, sæpius in libro memoratur Persius vno, Quàm leuis in
Martialis tota Marsus amassonide. Si verò ea quæ in hoc libro à me dicuntur, alicui non arriserint, meliora afferat: etsi id efficere non possit, taceat: quòd si meliora attulerit, non ægrè patiar, modò id sine liuore fiat. Tu autem, candide Lector, has nostras lucubrationes boni consule, beneque lege, & spera maiùs aliud opus brevi me esse in lucem editurum.

Vale.

QVID

QVID SAPOR

ET QVOT SAPORVM Differentiæ. Cap. I.

EX quatuor doctrinæ modis, quos Ammonius Philosophus apud Græcos præstantissimus tradidit in iis, quæ præfatur ad libri Porphyrij de quinque vocibus enarrationem, diuisiuo, definitiuo, resolutiuo, & demonstratiuo, quorum vnum aut duos vel omnes quisque methodo quidpiam docens vsurpare solet. Nos in præsentia duobus tantum, definitiuo, & diuisiuo, qui nostro proposito inseruire magis videntur, vtemur. Initio quid sapor sit explicantes, & in quas species diuidatur declarantes. Sapor auctore Theophrasto, partis est siccæ terrenæque in humore demistio: vel partis siccæ per humorem ex vi caloris percolatio. Quod fortè à priori nihilo differt. Aristot. lib. de sensu & sensibilibus. c. 4. saporem passionem esse, inquit, à sicco terreo in humido factam, gustus alteratricem, qui in potentia est, vt sit in actu: est enim in potentia, eodem docente Arist. lib. 2. de anima. c. 10. in fine. Gustus quidem instrumentum; gustabile autem id, quod gustum ipsum actu facere potest. Cuius gustus officium est sapores diiudicare, vt idē Arist. est auctor lib. 3. Ethico. c. 10. Saporis species sunt acerbus, austerus, acidus, dulcis, pinguis, salsus, amarus, atque acris. Qui sanè cuncti octonario

Lib. 6. de causis plantarum, c. 1.

Saporum numerus.

Digitized by Google

numero continentur. Nonnulli insipidum adiiciunt, verùm hoc à Theophrasto omissum est lib. 6. de causis plantarum. c. 1. vbi ex professo de saporibus agens eorum tantum, quos retulimus, mentionem fecit. Auicēna similiter lib. 2. canonis, tract. 1. c. 3. non videtur illud inter sapores connumerare, dum ait, sapores esse penitus octo, & vnum priuatum sapore, qui est insipidus. Veruntamen si insipidum gustu solo, non sensu alio percipitur, atq; cognoscitur, cogimur illud inter saporū species recensere; cùm sit nimirum sapor partis degustatricis passio, sic tradente Aristot. lib. de sensu & ijs, quæ sentiuntur. c. 1. Quemadmodū enim (scribente Galeno) febres tactu, ita sapores gustu sentiuntur. Accedit eò, quòd cùm insipidus & sapores reliqui priuatiuè opponātur, debent omnes in eodem genere collocari; cùm hæc sit contrariorum lex, vt in eodem genere ponantur, & maximè distent: igitur insipidus ad saporis genus priuatiuè reducetur. Acerbus & austerus non videntur specie disidere, cùm sola intensione & remissione differentiam obtineāt: magis autem & minus, vt phylosophi loquūtur, speciem non variare notius est, quàm vt probari debeat. Sed quòd duo hi sapores modo tantum, qui dictus est, & non alio differant ex Gal. liquet lib. 4. de simpl. medicam. facult. c. 8. scribente, austerum acerbum esse exolutum. Quò fit vt sæpè vnum pro alio assumatur. & lib. 1. eiusdem operis cap. 39. dicebat acerbum ab austero intensione sola differre: cæterùm vtrisque commune genus esse,

6. epidem. par. 1. cō. 39.

Acerbus & austerus quomodo differāt

Digitized by Google

esse, στυφον, hoc est adstringens, lib. 1. de alimento. facult. c. 1. iuxta finem docuit. Quod similiter lib. 1. de simpl. medica. facult. citato confirmat dicens, At quod nos adstringens vocitamus, haud temerè à Theophrasto dictũ reperias. Videtur enim idem significare, quòd austerum; aut certe commune esse genus, tum huius, tum etiam acerbi. Supereſt, vt de pingui seu vnctuoso sapore dicamus, quem à Theophrasto additum esse, & à Platone in sermone de proprijs linguæ sensorijs prætermissum: paulò verò ante plantarũ succis adscriptum, vbi vinosum ab oleoso & melleo discernebat. 1. de simpl. medicam. facult. c. 38. Galen. commemorat, & deinceps causam reddit dicens, pinguem Platonẽ omisisse, vt qui ad gustum nihil attineret: attinet enim magis ad tactum, quàm ad gustum: quod si ad vtrumq; attineat, cum pluribus sensibus percipiatur, sensibile erit commune, & non vnius gustus propriũ. Cæterùm Arist. 2. de anima. c. 10. & lib. de sensu & sensibilibus, c. 4. manifestè sub dulci pingue complexus est, Galenus hac in re dubius apparet: nam cùm li. 4. simpl. c. 9. dixisset, fructus oleosos & dulces esui solummodo esse aptos: deinceps c. 10. subdit, fortassis & pingue ipsum dulce existere; & quidquid nutrit è genere esse dulcium. Libro tamen 1. eiusdem tractationis, c. 39. dulce & pingue in hoc conuenire asseuerat, quòd ambo velut inungunt, atque implent, ac in statum suum restituũt exasperatas ac veluti erosas linguæ particulas: differre tamen, quòd hæc omnia cum voluptate à

Sapor pinguis seu vnctuosus.

Digitized by Google

dulci fieri contingant: à pingui verò sine voluptate. Veruntamẽ quatenus pingue nutriens est, debet in dulcium genere contineri: si modò verum est, quod Galenus lib. 4. de simpl. medicam. facultat. toties repetiuit, nutrire præter dulcem qualitatem nullam omnino posse: & omnium, quæ nutriunt, communem dulcedinem esse; ac quidquid nutrit, aut plus aut minus esse dulce; subscribens sanè in hoc Aristot. lib. de sensu & ijs, quæ sentiuntur. c. 4. dicenti omnia dulci, nutriri vel simplici vel mistim. Vnde Auic. 2. cano. tract. 1. c. 3. impossibile esse dicebat, quin in omni nutriente apud medicos insit dulcedo aliqua. Est etiam acetosus sapor, quem fortè aliquis à prædictis distinctum esse autumabit: verùm hic Auicennæ idem est, atque acidus; apud Galenũ verò simplex & impermistus sapor non est; sed ex acido & acri permistus atque compositus; quod ex 4. de simpl. medicam. facult. c. 12. probari nõ obscurè potest, vbi sic scribitur, Diuersis itaque viribus omphacis acetique succus cõstat; quippe quod aceto accedat ex putrido calore acrimonia quædam: atque ob id Aristoteles rectè dixit acetum proprio vini calore frigidũ esse, adscititio verò calidum: at omphacis succus calorem non habet. & rursus lib. 1. eiusdem operis c. 24. Acetum, ait, ex contrarijs qualitatibus cõpositum est, perinde vt lac: vnde Serapio acetositati (inquit) aceti miscetur acuitas & punctio. Deprehenduntur itidem in quibusdam alijs medicamentis varij & diuersi sapores, vt in absynthio

c. 9. & 15.

Acetosus sapor nõ simplex, sed permixt⁹.

Tit. de sapore acetoso.

Digitized by Google

thio amarus, qui gustui primus obuius est, & adstringens, & acris: in agarico dulcis & amarus; in chicoreo austerus & subamarus: in oxyphenicibus dulcis ac acidus; in melle optimo dulcis & acris: in brasica salsus simul & adstringēs; in mirti fructu & agrestibus piris acerbus simul & dulcis: austerus vnàque dulcis in fructu palmæ, & in vinorum nonnullis generibus, si Galeno creditur lib. 4. simpl. c. 8. vt in Surrentino, Salbino, Albate. Verùm nondum de compositis saporibus tractare proposuimus, ne caput hoc primum ad immodicam crescat molem: tum etiam, quoniam qui simplicium notitiam ad vnguem tenent, compositorum naturam probè cognoscent. Explorantur sapores singuli ex affectione, quam linguæ imprimunt eo modo, quo docet Gal. lib. 1. de simpl. medicam. facult. c. 36. cuius verba hic apponere libuit, quæ hunc in modum se habēt: Porrò quando, quod linguæ nostræ admotum fuerit, corpus valide desiccat, contrahit, & in multam profunditatem vsque linguā ipsam exasperat, sicut pira siluestria immatura, & corna, eiusmodi omne acerbum appellatur, ab austeris intensione diuersum: at quod nos adstringens vocitamus, haud temerè à Theophrasto dictum reperias: videtur enim idem significare, quod austerum, aut certè cōmune esse genus tum huius, tum etiam acerbi. Quæcunque verò linguam, dū contingunt, non contrahunt eam, nec constipāt, velut adstringentia, imò contra planè agere apparent, nēpe detergentia & abluentia, etiāsi adstrin

Mixti sapores.

Sapores singuli quomodo explorari debent.

Digitized by Google

gentium quidpiam admiſtum ſit, hæc omnia ſalſa cognominamus. At, quæ his etiam magis detergunt, adeò vt etiam exaſperent, amara nominantur. Porrò, quæ mordicant, roduntq́; idq́ue cum valida quadam caliditate, acria vocantur: ſi verò ſine hac mordent, acida quidē; cæterùm hæc fermentandi quoque vim obtinent. At quæ velut inungunt atque implent, ac in ſtatum ſuum reſtituunt exaſperatas ac veluti eroſas linguæ particulas, hæc ſi cum voluptate manifeſta contingant, dulcia, ſin hac ſine, pinguia vocitantur. hæc Gale. Quibus ſanè quantum in eo fuit, res explicatu longè difficillimas verbis exponere fuit annixus; quæ inquam quiad vnguem tenuerit, quæ ſit cuiuſque ſaporis affectio, atq; natura, facili negotio percipiet. Ex his ſaporibus acerbus, auſterus, & acidus temperamento frigidi ſunt: dulcis, ſalſus, amarus & acris, calidi: quemadmodum fuſa ac prolixa ſatis enarratione probat Gale. lib. 4. de ſimpl. medicamen. facul. cui Auic. conſentit li. 2. tract. 1. c. 3. inquiens, Non eſt poſsibile vt ſapores dulcis, amarus, & acutus & ſalſus ſint, niſi in ſubſtantia calida. nec ponticus, ſtipticus, & acetoſus, niſi in ſubſtantia frigida. Porrò ex his, acris omnium eſt calidiſſimus, mox amarus, poſt amarum ſalſus; & deinde dulcis, cuius calor, vt ait Gal. non immodicè calorem noſtrum exuperat; ſed velut aqua calida, cuius contactus voluptati eſt maximus; vbi refrixerimus, hactenus videlicet nos excalfaciens, dum concretas frigore in nobis particulas fundat,

Saporū temperamēta.

Lib. 4. ſimpli. cap. 9.

Digitized by Google

dat, non tamen soluat, secet, distrahatvè continuum; ea enim vt vtilissima est, & maxima afficit voluptate, sic omne edulium dulce calidum sanè omnino est; sed non tantùm calore excedit, vt is lædat, ac molestus sit, sed inter limites se continet fundentis, læuigantis, ac mollientis. Nec tamen censendum est dulce omne calidum existere: contingit enim modicè dulce aliquod esse frigidum, scilicet quando plurima corporis ipsius substantia aquea extiterit, sed non adeò tamen frigidum, vt id, quod valde acerbum est aut acidum: sed sicut illa potiùs, quæ tepidum calorem possident, quæ Galeni est sententia, 4. simplicium. capit. 7. Sapor pinguis in calore, dulci proximus est; nam ex tenui non quidem ignea, sed planè aërea materia nascitur, quæ calore quidem & frigore quodammodo temperata est: humoris tamen eiusque aërei particeps magis ac proinde vis eius atque facultas est relaxare, emollire & humectare. In hoc sanè saporũ catalogo difficile est extrema collocare: nam etsi Galen. dulce & austerum videatur contraria facere: veruntamen, si diligenter inspexerimus, nullus sapor magis videtur ad medium accedere, quàm dulcis; quoniam vt in reliquis rebus ab vno extremorum ad alterum nihil peruenire potest, nisi per medium, ita pleraque ex his, quæ insipida sunt, priùs fiunt dulcia, quàm amara, & è conuerso amara priùs dulcescũt, quàm insipida reddantur, vt innumeri fructus demonstrant. Quare dulcia in medio amarorum & insipidorũ collo-

Digitized by Google

collocare posſemus,& contraria cõſtituere amarum & inſipidum. Alij contraria faciunt inſipidũ & acidum. Veruntamen melius eſt, vt acidũ inter media collocemus, quemadmodum eſt adſtringens & acerbum: omnia enim hæc inter inſipidum & amarum ambigere videntur. Ariſtotel. lib. 2. de anima. c. 10. & lib. de ſenſu & ſenſili. c. 5. dulce & amarum contraria conſtituit, propterea quia contrario,& maximè repuguante modo guſtum immutant, dulcia nempe voluptuoſo, amara implacido & contriſtante. Aliqui ſapores hoſce ob id cõtrarios dicũt, quod paſsiuis maximè qualitatibus contrarientur: nam dulcia humida ſunt: amara autẽ ſicca, vt probat Gal. 4. ſimpl. c. 20. verùm ita acria & acida deberẽt cõtraria eſſe, propterea q̃ actiuis opponũtur; nã acria calida valde ſunt, acida frigida: ſed nullus hactenus hęc cõtraria effecit, ergo non ratione hac cõtrarij ſapores ſunt explorandi; ſed eis, qui antea dicti ſunt, modis,& qui poſtmodũ dicẽtur. Galenus tamẽ dulce & auſterũ contraria videtur conſtituere, quia vt ipſe ait lib. 4. de ſimpl. medicam. facult. cap. 7. arborum fructus initiò auſteri ſunt; deinde verò tempore matureſcentes dulceſcunt; quod Theophraſti teſtimonio probat dicentis, arborum fructus omnes quotquot nobis, vbi maturuerint, dulces apparent; nuper enatos acerbos, ſiccoſq́ue eſſe conſiſtentia pro ſui nimirum parentis quẽq; natura, oliuæ, vuæ, mala punica, mora, palmulæ, pira: at progreſſu temporis humidiores reddũtur, adquiruntq́ue pro acerbitate aciditatem, quã

Ariſt. quos ſapores contrarios efficiat.

Gale. quos ſapores contrarios videatur conſtituere.

ſenſim

Digitized by Google

sensim exuentes, postea dum matureſcunt, ac perficiuntur, dulces euadunt. Quibus sanè verbis vult in fructibus, dum matureſcunt, motum esse ab acerbitate ad dulcedinem, quæ maturitatis terminus existit. Quare cùm acerbum & dulce in hoc motu maxime distent, iure optimo Galenus illa com. 1. lib. 3. de ratione victus in morbis acutis, contraria esse asseruit. Verùm eadē ratione dicere tenetur amarum & dulce contrariari in his fructibus, qui ex amaris dulces reddūtur, ex quorum numero sunt pepones, cucumeres, oliuarum & glandium nonnulla genera: nam sicuti in supradictis ab acerbitate in dulcedinem motus erat; sic in his ab amaritudine in dulcedinem fieri conspicitur: est etenim in istis initium & terminus, à quo motus, amaritudo; finis verò & terminus ad quem dulcedo. Ex quibus Auerroës lib. 5. collectaneorum c. 27. Quem sequitur Valeriola lib. 1. enarrationum 4. aduersus Galenum colligit, saporem amarum non perpetuò ex calore oriri: nam eodem docente lib. 4. simpl. fructus omnes, cùm matureſcunt, ex frigidis calidiores fiunt: est enim maturitas, auctore Aristot. coctio quædam, quæ non aliunde, quàm à calore proficiscitur; quemadmodum cruditas coctionis est priuatio, quæ frigiditatem & caloris defectum ostendit. Quapropter fructus, qui, cùm immaturi adhuc existunt, amari sunt, & postea matureſcentes dulceſcunt, erunt, cùm amari sunt, frigidi; dulces verò calidi: nam si, dùm matureſcūt, calefiunt, & dum immaturi sunt, frigidi habētur; existent,

Auerroes in sapore amaro Galeno aduersatur.

Coctio à calore fit.

Digitized by Google

existent, cùm amari sunt, frigidi, ac dulcescentes fient calidiores: quandoquidem, cùm amari sunt, existunt crudi, & ex consequenti frigidi: cùm verò dulcescunt, simul cum amaritudine frigiditatem amittunt, & calidiores redduntur. Ex quibus colligit amaritudinem in his constare ex frigore, sicuti dulcedinem ex calore: amaraque non semper esse calida: sed aliquando frigida haberi. Verumtamen huic argumento respondet Vallesius lib. 9. controuersiarum. c. 5. inquiens, aliud esse dicere omnẽ amaritudinem nasci ex calore, aut amara omnia calida esse, quoniá nihil impedit rẽ aliquam posse existere excellenter frigidam, quæ tamẽ nonnullas calidas sortiatur partes, quarũ occasione amara fiat, vt cicuta, quæ frigidissima cũ sit, amaritudinẽ tamen non exiguam obtinet: est enim amarum omne, quatenus amarũ, calidum, licèt alia ratione possit esse valde frigidum: nam cùm amaritudo excellens sit qualitas, poterit vbicunq; fuerit eluceſcere maximè; etiamsi pluribus contrariæ qualitatis partibus sit admista; quia si in heminam aquæ momentum aloës injiciamus, totam ipsam amarã reddemus, sic vomitus pituitosus amarus percipitur ob exiguam bilis portionem illi permistam. Quapropter dicendum, nihil impedire fructus immaturos frigidos esse, & interdum amaris quibusdã partibus præditos, quæ dum fructus matureſcũt, tanquã excrementitiæ excernuntur. Nec ex sapore amaro, quem habet pepo, dulcis fit sapor, sed ex aquosa humiditate amplius cocta, & elaborata expurgatis per coctionem

Argumenti Auerrois responsio ex Vallesio.

Digitized by Google

nem ab eodem calore coquente partibus amaris: siquidē ea ratione, qua peponis aut cucumeris calor fortis est ad reddendā illam aquosam substantiam dulcem, est etiam potēs ad expurgandas partes excrementitias, quas pepo & cucumis habēt, quibus sapor amarus adhæret. Quapropter in similibus fructibus sapor dulcis ex amaro non fit, sed per coctionem fructus hi redduntur dulces expurgatis ipsorum partibus amaris, & elaboratis aquosis & humidis: aut partes eædem amaræ fructibus ipsis per coctionem humidioribus redditis amittūt ariditatem, quam deponentes simul & amaritudinem exuunt: quia cùm amarus sapor ex calore & siccitate proficiscatur, fit, vt qualibet deposita qualitate remitti aut aboleri possit. Eadē enim aut maior est de sapore acri hæsitatio: quandoquidem is in nonnullis fructibus immaturis intensior multò reperitur, quàm in eisdem maturitatē adeptis, hoc in piperis genere videre licet, in quo, auctore Gal. lib. 8. simpl. albū veluti omphax est, quod nigro quidē acrius & exurentius percipitur: nam illud vberē interim humiditatem obtinet: nigrū verò iam quasi superassatū & superexiccatum habetur: ac vnâ cum humiditate multā amisit acrimoniā. Idem in allio, porro, cepa, atq; alijs plerisque plātis nobis intueri datur, quæ nuper enata acriora multò sentiuntur, quàm temporis progressu matureſcentia: ratio est, quia initio hæc multam eandemque valde acrem humiditatem attraxerūt, quæ temporis spatio concocta mitior ac benignior redditur. Nec ob id, quod

Digitized by Google

quod initio illa acris est, desinit esse cruda: nam bilis cùm flaua admodum est, acris, & male olēs, cruda dicitur apud Gal. lib. 2. de ratione victus in morbis acutis com. 44. censet enim crudum id omne, quod indomitum est, & nec deuictum, nec superatum à natura existit, siue calidum illud fuerit, siue frigidum, quod dum à natura superatur, coquitur, atque ad mediocritatē reducitur: nam hoc est munus atque officium coctionis, si Galeno creditur lib. de constitut. artis medicæ, c. 19. ad mediocritatem reducere omnia siue calida ea sint, siue frigida: quò fit vt frigida calefaciat, calida verò remittat, & ad teporem reducat.

Bilis admodū flaua, acris, & maleolens cruda est.

Quid crudum?

Coctionis munus atque officiū.

¶ *Quot sint adstringentis saporis species, & quid vnaquæque earum in nobis efficere queat.* *Cap. II.*

HActenus quidem de saporibus in genere magis; in specie verò minus scribere sumus aggressi. Verùm cùm non sufficiens sit generalis de re quapiam doctrina; sed necessaria etiam existat peculiaris, quæ de cuiusque generis speciebus agit: ideò opus est ad sermones magis particulares transire, qui sanè priuatim in vnaquaque saporis specie peragentur, in quibus id tantum scribere consilium est, quod mihi verissimum visum fuerit, omissa aduersus illos, qui de re hac minus rectè opinati sunt, concertatione. Exordiar autem ab eo sapore, qui velut initium ac fundamentum est reliquorum; talem autem acerbum esse

Digitized by Google

esse dictum alibi est; in quo initio lectorem monitum esse velim, illum simul ac acerbum dupliciter enuntiari, metaphoricè nimirùm atq; propriè: propriè namque acerbum & austerum ad gustum tantummodo attinent, vt ex Galeno cõstat lib. 1. de natura humana, com. 6. & lib. 2. de locis affect. c. 8. Metaphoricè verò de moribus dicitur; quemadmodum apud Aristotelem videre licet, lib. 1. de historia animalium. c. 9. dicentem, supercilia sub fronte sunt, quæ si in rectũ protenduntur, lenes mores significant; si iuxta nasum incuruantur, austeros & acerbos. In quo significato desumitur austeri vox à Gal. libro, q̃ mores animi corporis temperaturam sequantur, cap. 10. cùm ætatem senilem dicit esse austeram, tædij plenam, ac duram. Per metaphoram etiam acerbus homo ab eodem appellatur in fine lib. 3. de different. pulsuum. Vocatur autem sic homo, vt Aristot. lib. 2. moralium Eudemiorum. c. 5. docet, quòd iracundi captet occasionem. De dolore metaphoricè itidem acerbum enuntiari solet, vt ex Galeno liquet lib. 6. epidem. p. 1. com. 6. quo loco enarrans Hippocratis sententiam, quæ habet, in renem dolor grauis, quando cibo replentur, ait, dolorem grauem aut tanquàm alicuius rei grauis loco incumbentis sensum inferentem, aut acerbum intelligere nos posse, & vtrũq; verum esse. Quare non est, cur Archigenem reprehendat lib. 2. de locis affect. c. 8. acerbum & austerum dolorem appellantem, scribens, hæc saporum esse nomina, qui lingua vt instrumento

Acerbum & austerũ quot modis enũtiari soleant.

Acerbũ ad mores referatur.

Acerbũ de dolore dicitur.

Digitized by Google

& gustandi sensu dignoscuntur, si ipse eisdem vo vocibus ad diros dolores designandos vtitur. Nisi dicamus Archigenem has voces vsurpasse propriè, credens illas verè de doloribus enuntiari, Galenum verò impropriè, & per metaphoram tantum. Propriè namque adstringentem aut acerbum dolorem nominare non magis possumus, quàm illum ceruleum, aut rubrum, aut fuscũ appellare; aut alium aliquem à coloribus nuncupatum, vtpotè quòd tales denominationes, vt dictum est, propriè saporum sint, vt hæ colorum: impropriè vero & metaphoricè possumus. Nam quemadmodum acerba gustui sunt ingrata, & iniucunda valde; ita dolor tactui infestus est. Verùm de metaphorica significatione in præsentia tractare, propositum mihi non est, sed de propria, quatenus huiusmodi voces gustabilem qualitatem nobis significant: quandoquidem in præsentia de saporibus tantùm differere instituimus. Pro quorum explicatione imprimis aduertendum reor, id, quod Galenus acerbum appellat, Auicennam & reliquos Arabes ponticum nuncupare (fortè quia sapor hic in ponto frequens inuenitur ob regionis frigiditatem, & fructuum immaturitatem) & quod Galenus Austerum nominat, Arabes stypticum dicunt, vt ex Auicenna, Auerroe, & Serapione patet dicentibus, ponticum & stypticum esse eiusdem speciei, & tantum secundum magis & minus differre: ponticumque fortiorem esse styptico, & stypticum non contrahere, nisi quod de lingua manifestum

Cur acerbũ sapor ponticus ab Arabibus nũcupetur.

Auic. 2. can. 2. tract. 1. c. 3. Auer. 5. collect. c. 27. Serapio. c. prop.

Digitized by Google

nifestum est: ponticum verò contrahere & exasperare, quod manifestum est, & occultũ. Quæ sanè cuncta de acerbo & austero à Galeno dicta sunt, vt suprà visum est, & nũc nihilominus videbitur, dum horum saporum naturam explanabimus, quę non aliunde, quàm ab eorum definitione melius deprometur. Quid autem sint austerũ & acerbum, docet Gale. lib. 4. metho. c. 7. dicens, Voco austerum id, quod stryphon quoque Græcè, id est, adstringens dicitur: acerbum verò id, quod intensum austerum est. & lib. 4. de cõposit. medicam. per genera. c. 5. austerum enim, inquit, Græcis id sibi vult, quod mediocriter adstringẽs: acerbum, quod valde & vehementer id facit, genus vtriq; cõmune adstrictionis vocabulo signatur: non etiam vtrum validè, an obscurè id faciat declarante. libro item. 6. de compositio. medica. localium. c. 3. dicebat austerum & acerbum ambo adstringere, sed magis acerbum. Ex quibus omnibus clarè intelligitur, verum esse quod modò dicebamus, acerbum apud Auicennã & reliquos Arabes ponticum esse: austerum verò stypticum. Sed supereſt, vt indagemus quæ sit saporum horum temperies, facultas, atque substantia. Porrò qualitatem acerbam sua ipsius virtute refrigerare & exiccare. 7. metho. cap. 7. à Gale. proditum est. & lib. 4. de simpl. medicam. facul. cap. 7. dicebat, adstringẽtia certè terrena esse, & crassa corporis consistentia, qualitate verò frigida. Cui Auicenna subscribit lib. 2 tract. 1. capit. 3. dicens ponticum fieri ex substantia crassa,

Digitized by Google

terrea, frigida, esseque alijs saporibus frigidius.
Lib. 4. simpli. cap. 7. Cuius rei probationem attulit Gale. inquiens, Quippe si ab acerbo sapore manifestè linguâ cõtrahi, siccari, asperatique contingit; ostensumq; superioribus libris est, ab vnico frigido contrahi, constringi, densariique corpora; liquet plane frigidum esse saporem acerbum: quoniam porrò inæqualiter desiccat, id enim est, quod exasperat, fuerit sanè omninò etiam terrenus; siquidem aqueus omnia æqualiter penetrat, atque peruadit; eique inseparabile est ac perpetuum, etiamsi diuulsus sit, vt rursus vniatur: at terreno corpori, quod in saporibus defertur, iam antea inest diuulsio, simulque vt nunquàm deinceps facilè coëat; quin si eius recorderis, quod vtriusq; singulatim passionis sensilis est proprium, ijsdem ipsum subscribet, ac testificabitur: velox siquidè acidorum saporum transitus in sentientibus corporibus fieri conspicitur: acerborum autem tardus: tum acida quidem in alto magis agere apparent; in superficie autem acerba. Hæc itaque omnia crassarum esse partium acerba corpora indicant; acida verò tenuium. hæc Gale. qui longa hac serie abundè monstrat acerbi saporis substãtiam frigidam esse, crassam, ac veluti terream. & lib. 3. eiusdem operis. c. 5. suppositum erat, frigidum contrahere, constipareque, & substantiam reddere immobilem, aut ægrè mobilem: calidũ verò rarefacere, fundere, coquere, atque mouere. Rursus est & alia huius rei demonstratio sanè nõ contemnenda; nam si fructus initio acerbi sunt, deinde

Digitized by Google

deinde tempore matureſcentes dulceſcunt, ſequitur ex calore ipſis prouenire dulcedinẽ: acerbitatem verò aciditatemque conſtitiſſe ex frigore. Quòd frigidus ſit ſapor acerbus, dictum iam eſt: quantum verò ſit frigidus, ſatis Auicenna explicuit, dicens, illũ alijs eſſe frigidiorem. & ſimiliter Iſaac lib. dietarum vniuerſalium. c. 15. in fine tertij gradus refrigerare & ſiccare ſcribens ſic, vt eis, quæ quarto ordine refrigerant, propinquus habeatur. Porrò corporum acerborum quædam eſui inepta exiſtunt vicem tantummodo medicamenti obtinentia, vt rhus, & omphancia vocata galla: alia dulcem quandam, licet obſcurã admodum, qualitatem immiſtam habent, ideoque comedi poſſunt, vt fructus arbuti, ilicis, fagi, corni, ſilueſtris pruni, & ſimiliter meſpili: verùm hic teſte Galeno. 7. ſimpl. admodum eſt acerbus, vixq; edi poteſt, & ventrem ſtrenuè coercet. Sanè auſtera ſunt multa, vt malipunici genera, atq; cotonea mala, ac reliqua complura eſui apta, quæ inquam guſtui grata exiſtunt; acerba verò teſte Gal. lib. 2. de locis affect. c. 8. guſtui haud quaquã iucunda ſunt, non ſolùm ea, quæ medicamentorum ſpeciem referunt: ſed etiam illa, quæ cùm ſint huiuſmodi, reijciũtur in cibos. Hoc dixerim dummodo homines, qui talibus veſcuntur, naturaliter ſe habeant, & ab excrementis vacui ſint: ſi verò extra naturalem ſtatum conſtituantur, acerbis, acidiſque delectari interdum ſolent, vt Gale. eſt auctor li. 6. epidem. parte. 5. com. 14. & li. 4. ſimp. c. 9. vbi de huiuſmodi ſaporibus agẽs, inquit,

Acerba quo ordine refrigerẽt.

Acerba guſtui nõ ſunt iucunda.

Acerba quibus iucunda.

Digitized by Google

inquit, apparent enim, quæ citra laborant, mulieres, quique satiati sunt, & quibus exolutus est stomachus, ea appetere degustare: cõtra verò si esuriant, auersantur tum acerba, tum acida: expetunt autem ac sumunt, quæ dulcia sunt & pinguia, hisque expleri desiderant. Quod tamen diximus austera gustui grata esse, non simpliciter est accipiẽdum; sed dummodo vnâ cum austeritate dulcedinem aut iucundam aliam qualitatem habeant coniunctam: si namque amaritudinem obtinuerint, vt aloë, & absynthium, multò ingratiora existunt, quàm si solum amara forent: sic quæ dulcia sunt & austera, dulcibus solum suauiora sentiuntur: ratio est, quia amara tantum, vel dulcia tantum trãseundo solum modo gustus instrumẽtum afficiunt: at, quæ simul sunt austera & amara, vel dulcia & austera, moram trahunt, & in parte cunctantur, compressioneque quasi quadam in linguæ intimiora pellũtur. Quò fit vt si voluptuosa sint, quemadmodũ dulcia, multò voluptuosiora appareant: si verò sint iniucunda, vt amara, iniucundiora magis sentiantur. Atque hæc est causa, cur alimenta melancholica, id est atram generantia bilem, tantopere appetamus, & ad edendũ nos inuitẽt, vt oliuæ, caro ossibus adhærẽs, & ad hæc ceruina, ac caprina, & ex visceribus lien, de quo verba faciẽs Gal. inquit, reliquorũ aũt viscerũ lien quidẽ gustui est suauissimus: ineſt enim in eo perspicua quædã acerbitas: meritò autem praui quoq; succi esse creditur, vt qui sanguinẽ melancholicũ generet. Dixit acerbitatem, quod puto non

Lib. 2. de alimen. facult. tit. de pedestriũ animaliũ viscer. bus.

Digitized by Google

non dixisset, si eorum, quæ 2. de locis affect. c. 8. scripserat, recordatus fuisset, vbi ait, nulla acerba gustui esse iucunda. Nisi dicere velimus, acerbitatis vocabulum aliquando latiùs patere, austeritatemque interdũ sub se cõprehendere; quod inquã asserere melius est, quàm contradictionis nota Galenum reprehendere. Sed his omissis superest, vt quid adstringentia efficere queant explicemus: sanè sequuta sunt temperaturã eorũ opera; quò fit, vt cõtrahere, cõstringere, dẽsare, repellere, & incrassare, & ad hæc refrigerare & exiccare sint nata. Gal. lib. 4. de cõposit. medica. per genera. c. 5. de adstringentium facultate hæc scribit, Omnia adstringẽtia cõtrahũt, ac dẽsant meatus, adhæc vinciũt, ac cõtinent partiũ sibi inuicẽ cohærentiũ substantiã; atq; minus magisq; hoc pro adstrictionis quãtitate efficiũt; cæterũ adstringẽdo, ac dẽsando summa corporis, quod adstringitur, virtus illorũ excluditur, & in altũ ire prohibetur. Ob quã rationẽ pulchrè nõnulli medicorum huiusmodi pharmacis alia subtiliũ partiũ & acri potestate prędita indere excogitarũt, à quibus veluti ductæ adstringentiũ vires in profundũ corpus perueniãt. Vnde Gal. li. 7. local. c. 4. Sãguinis reiectatiõis curationẽ docẽs, inquit, Miscẽtur verò prędictis (puta adstringẽtibus medicamẽtis) cõgruẽti mẽsura, tũ calida, tũ tenuiũ partiũ existentia, quæ insestissima sunt prædictis tribus affectibus, apertioni, videlicet, orarũ, ruptioni, & corrosioni. Cuius grã itaq; miscẽtur distributionis nimirũ ipsorũ in corpus: etenim adstringẽtia & vis-

Adstringẽtium facultas quæ.

Digitized by Google

cosa & tenacia sibi ipsis vias precludũt, quare op⁹ habent facultate ipsis viam struẽte ac præparãte. Verùm cùm ex locis circa stomachum, aut aluũ, aut aliquod intestinum sanguis effunditur, huiusmodi pharmacorum mistura opus non est. hæc Gal. Optimè verò Mesues adstringentium vires complexus est, dum ait, stypticum intro cogit, densat, repellit, roborat, diuisa glutinat, tarde & imbecilliter agit, suaque substantia crassa ea omnia obtundit, quibus acre, amarum & salsum vires addunt. Hoc tamen in loco silentio dissimulandum non est, Galenum lib. 6. simpl. c. de abrotono, acerbum stomachum amicum esse cẽ fuisse. Quod similiter voluit lib. 5. de vsu part. cap. 4. in fine, quo loco inquit, atram bilem gratam ac benevolam ventriculo existere, actionesque ipsius adiuuare, non subuertere esse aptam, ob id, quod acerba & acida est. Verùm huic sententiæ auersari videtur Auenzoar lib. 1. theisir capite illo, in quo de conseruanda sanitate differit, sic dicens, Omnia habentia fortem stypticitatem, sicut sunt pontica, naturaliter sunt crassa & dura, terrestria, dolorem stomachi generantia: quãuis in eis virtus aliqua stomachum roborãdi reperiatur, quia non conferunt stomacho fortem habẽtia stypticitatem, sed temperatam, sicut sunt rosæ & similia. habentia verò crassam, siccam & terrestrem substantiam, si benè decoquantur, minus nocent stomacho, exceptis fauis, in quibus decoctio non remouet nocumentum. hæc Auenzoar aduersus Galenum proferre non fuit veritus. Nec melancholia

In canonis uniuersalibus, theorematæ primo

Auẽzoaris sententia.

Digitized by Google

cholia, iudicio meo, acerba dicenda est, vt arbitratur Galenus, sed austera duntaxat: nam cùm humor sit, humiditatem aliquam necessario obtinebit; aliàs enim ne humor quidem esset; quandoquidem eodem docente lib. 2. de differen. febrium. c. 16. in humorum substantia elementum humidum exuperat, non siccum; vnde ab Auicenna humor definitur corpus humidum fluidum, in quod imprimis nutriens conuertitur. & idem Gal. lib. 1. de natura humana com. 39. inquit, melancholiam siccam & terrestrem esse dici, humiditatis etiam nihilominus participem, alioqui quemadmodum ille scribit non esset humor, sed solidum corpus vt adamas, sic autem & frigida dicitur, quod plus in ea frigiditatis quàm caloris insit: quoniam si exactè esset frigida, glaciei instar concresceret. Quòd si melancholia insitam nonnullam humiditatem habet, vt certè habet, acerba esse non poterit, sed austera haud dubiè euadet: siquidem eodem Galeno testante, austerum ex acerbo per humiditatis ademptionem generatur, quia vt ipse ait, cuiusque saporis vires aquea retundit atque hebetat humiditas. Rursus Auicenna non dixit melancholiæ saporem acerbum esse, sed medium inter acerbum & dulcem, qui, inquam, vel austerus est vel saltim ex acerbo & ex dulci mistus. hæc de naturalis melancholiæ sapore obiter sint dicta: nã alia quæ præter naturã existit, & proprio ac peculiari nomine atra bilis à vetcribus nominatur, acida est & aceti in modũ terrã eleuat: vt varijs in locis prodidit Galenus.

Lib. 5. de vsu part. c. 4. in fin.

1. primi doct. 4. c. 1.

Lib. 4 sim pli. c. 8.

Digitized by Google

¶ *Quis sit acidi saporis ortus: quod illius temperamentum, ac quæ eius affectio.* Cap. III.

Sapor acidus.

ACidus sapor ex acerbo generatur humiditate aërea superueniente, & antiqua frigiditate seruata: nam si corpus acerbum tãtùm humescat, & humiditas crassarum sit partium, & aquea, austerum euadet ab aquosa humiditate acerbitate exoluta, atque retusa: si verò humiditas, quæ accedit, & cum acerbo corpore permiscetur, tenuis sit & aërea, acescet. Quòd autem aciditas ex acerbitate per humiditatis acquisitionem generetur, ex eo probari potest; quoniam fructus initio lignosi cùm sint, sicci quoque sunt, simulque acerbi: verùm affluentis postea humoris copia acidos efficit: atque hæc est vna saporis acidi generatio. Altera est, quoties ille ex superabundante humore aqueo prouenit, qui dum nõ coercetur, nec ab insito calore gubernatur, acescit. Sic lac repositũ acidum redditur, & vinum similiter. Idem in succis omnibus intueri licet, qui dum non coquuntur, nec probè à calore alterantur, acidi fiunt: nam cùm auctore Galeno, succi cuiusque tria sint excrementa, vnum aqueum, alterum terreum, quale est in vinis fex; tertiũ aëreũ, quod ipsum quoque vini flori proportione respondet: aqueum est, quod in omnibus ebullitionem corruptionemque efficit, vbi nimirùm nec deuinctum, nec planè alteratum ebullitionis tempore fuerit; sicut cùm exactè deuictum atque mutatum fuerit, in eam, quæ propriè est succi natura,

Lib. 4. de de simp. medic. faculs. c. 8.

Gal. lib. 4. simp. c. 7.

Lib. 4. simpli. c. 3. & 23.

Digitized by Google

ra, mutatur: quemadmodum pituita in animalibus per vlteriorem coctionem conuerti in sanguinem videmus; atque aquei illius excrementi gratia quidam succos non nisi coctos reponũt: alij in sole feruenti præsiccatos: nam terrei aëreiqúe occasione non admodum eos corrumpendos iri metuunt, cùm illa separari videant, egrèque corruptibilem sortita sint substantiam: quandoquidem temperamentum nacta sunt siccum. Ex quibus clarè intelligitur saporem acidum frigidum esse simul, ac tenuium partium, vt testatur Galen. lib. 4. de simpl. medicam. facult. Cap. 3. & 7. & 2. Porrò frigidum esse docet ipse c. 3. eiusdem libri scribens in hunc modum, Itaque quod tantũ est acidum, quidquid id fuerit, planè frigidũ est, siue pirum, siue malum, siue acinus vuæ, siue rubi, siue ipsius mori, siue rheas fructus, hoc est, mala punica, siue quiuis alius, tum fructus, tum succus, tum planta, vt oxylapatum, oxalis, quam eandem oxida quoque nominant: quippe si gustanti vehemens atq; manifesta illi inesse aciditas appareat; nec quicquam præ se ferat acrimoniæ, omnino hunc succum refrigerantem reperies, quin confidenter vtitor, siue ad ardores vti contilium est hypochondrijs impositio, siue ad erysipelas, siue ad alium affectum calidũ. Similiter quoque frigidos affectus ab eo omnes palam lædi cõperies: vbi verò mista tibi acida qualitas appareat, cum acrimonia, conijciendum est, caliditatem quoq; inesse: sin iuncta sit adstrictio, aliud est frigiditatis genus: nam acida frigiditas

tenuium

tenuium est partium, adstringens crassarum. Verùm quod illa tenuis essentiæ sit, ex eo deinceps probat, quod velox est acidorum saporum transitus in sentientibus corporibus, & ex eo etiam, quod acida omnia in alto magis agere apparent: sed quod frigidum subtile acidam efficiat qualitatem, à priori etiam probari non obscure potest: nam ea, vt dictum est, generatur ex acerbitate per aëreę humiditatis ademptionem frigiditate manente: si namque non maneret frigiditas; sed loco eius calor succederet vna cum humiditate, pinguis efficeretur sapor vel dulcis, pinguis quidem si humiditas esset aërea, dulcis verò, si aquea. Rursus aciditas in saporibus teste Galeno, lib. 4. de simpl. medicam. facult. cap. 15. nasci potissimum videtur, dum à calido quidé mutatur, vt tamen non superet id, quod ex acidis ructibus vel maximè coniicias: nam hi haud quaquá, vbi nulla prorsum facta in ventre est ciborum alteratio, prouenire solent: quemadmodum nec vbi optimè concocti, sed tantum vbi semiçocti, vt ita dixerit quis, fuerint. Vocat autē semiçoctos ipse, qui à ventriculi calore alterationem perpessi; nō etiam perfectè ab eo superati fuerint; sic lac, ptisanæ succus, & quæcunque eius sunt generis, tēpore æstiuo citius acescunt, quàm hyeme: postulantque edes frigidas, vt in his reposita plusculo perdurent tempore. Ex quibus omnibus patet, quòd à calore mutante quidem, non tamē prorsus vincente aciditas generetur qualitas: atq; ob id plerisque inest fructibus priùs, quàm maturuerint

Cap. 7. eiusdem quarti libri.

4. simpl. cap. 2.

Digitized by Google

ruerint. hæc Gale. & deinceps subdit, simile quid acidis saporibus vsu venire, quod borealibus vētis accidit, vt tenuis scilicet essentiæ sint, simulq; frigidi. Ex quibus colligit eos sine calore non nasci, sicut nec illum ipsum boream. Ab hoc calore quidem ebullitionem efficiente, nondum tamē alterationem perficiente, in lacte, & vino, & succis omnibus, qui acescunt, partes igneæ & aëreæ, quæ prius inerant, dissipantur, ac resoluuntur promptè, vtpotè ad digestionem & resolutionē habiles, terrestriores verò atque aquosæ, cùm discuti præ crassitie nequeant, funduntur, atque attenuātur satis, vnde sapor oritur acidus, represso vtiq; calore, & interna frigiditate simul cū essentiæ tenuitate vincēte. Quod frigidus sit sapor acidus dictum est. Quantum verò frigiditatis obtineat, tradit Isaac dicens illum ordine secundo tantùm frigidum esse, quò fit, vt quæ summè nos refrigerant, ac interimunt, veluti cicuta, papaueris succus, iociamus, mandragora, minimè omnium acida sint, ita Galeno tradente lib. 4. de simpl. medicam. facultat. cap. 15. præcitato, quippe ait, quod licet frigidi sint sapores acidi omnes, haud tamen eò vsque refrigerant, vt interficiant: non enim subtilis forent essentię, si extremè essent frigidi: ob hanc tenuitatem simul ac frigiditatem euenit, vt illi mordaces compareant, dicente Galeno, mordicationem communem esse istis tribus saporibus acido, amaro, & acri; verùm acido quidem, vt frigido simul & subtili, (nam & id sæpè demonstratum est) amaro verò & acri

Bartholomæus Anglicus lib. 19. de proprietatibus rerū. c. 47.

Lib. dietarum vniuersalium.

Lib. 4 simpli. ca. 27.

vt

Digitized by Google

vt calidis. Quod propriè tamen in saporibus acidum appellatur, à sola lingua percipi potest, sicut & acre: cæterùm quòd vtrique commune est, nempe mordacitas, etiam à tactu sentitur: vtraque verò lingua agnoscere nata est; nam quæ communia sunt, sicut & reliqua corpora sensibilia; quæ verò propria tanquàm gustus organum percipit. Quibusdam aciditatem à calore nasci visum est ex eo, quòd vina languida æstate facilè acescunt: hyeme verò suas seruent qualitates: quorum, vt Gale. ait, adauget opinionem; & quod vehementius motum est, ac longiùs aduectum: talia namq; cùm infirma fuerint, celerrimè acescunt. Hac de causa quidá, qui de re rustica rectius scripserunt, dolia in ædibus ad aquilonẽ expositis defodiẽda censent, tanquàm frigus, scilicet, qualitatẽ eorum seruet, mutat autẽ caliditas; sic vina quædam acescunt promptè, vbi in meridianis, & soli expositis locis reposita fuerint. Quin & Alexander Tralianus lib. 7. c. 14. tenet, acidum ructũ nõ tantũ à frigidis, verùm etiã à calidis fieri causis, dicẽs nouimus autẽ pluresmedicos existimasse omnẽ acidũ saporem à sola fieri frigiditate: quamobrẽ eis semper exhibent calfacientia: vidimus autẽ plurimos à cibis refrigerantibus adiutos, priùs à calfacientibus vehemẽter læsos. Quo in loco se experimẽto probasse refert, vinum & potiones calidas in eorum ventribus acescere, quos postea curauit oxycrato, & alimentis coctu difficilibus & piscibus, & carnibus, & suilis pedibus elixis, & inde factũ esse, vt nõ amplius aut cruditatẽ, aut acidũ ructum

Lib. 4. simpli. c. 15.

Lib. 4. de simpl. med. facul. c. 13. & 14.

Digitized by Google

ctum paterentur. Verùm his omnibus vt satisfaciamus, dicendum, saporẽ acidũ à frigore interno rei acescentis semper oriri, etsi ab externa causa calida aut frigida in eã deducatur dispositionẽ: à frigida verò per se, à calida verò per accidens: omne em̃, quod acescit frigidũ est, redditur autẽ tale à causis refrigerantibus, vt in vẽtre cibus, aliquãdo vinũ aut lac: à calfacientibus verò, quoniã hęc quoq; ex accidẽti aliquãdo refrigerant, calorem nimirũ natiuũ extra educendo, nã maior calor calorem minorẽ educit, ac foras euocat, quoeducto subiectum refrigeratur proprio calore destitutũ; ac proinde vina languida calore acescunt, quod vehementibus non accidit; nam hęc cùm fortiora sunt, magnos tum motus tum calorẽ citra corruptionẽ sufferre ac tolerare queunt, simile quid illis eueniens, quod corporibus humanis; nam vt ex his, quæ robusta sunt, à sole & validis exercitijs robustiora reddũtur; à quibus prosternuntur, & digeruntur, refrigeranturq́;, quæ non sunt huiusmodi: sic vina natura calida mot⁹ velut vẽtilãs, sol excalfaciens, flãmæq́; iuxta ardentes celerius cõcoquunt; cuius vtilitatis gratia nõnulli illa in solẽ efferũt, & igne excalfaciũt, vtquędã sanè in suauia fiãt fumi cõtrahẽtia qualitatẽ; in Asia namq; referẽte Gal. in tegulas ædiũ æstate omne propè in lagenas trãsfusum imponebãt: postea in edita cubicula, sub quibus infernè multa flãma lucebat, transportabãt, in summa aũt ad meridiem solẽq́; cellas obuertebãt, in quib⁹ & citiùs matureſcebãt, & potui idonea reddebãtur. Verũ, inquit, q, si talia

Lib. 4 simpli. c. 14.

Digitized by Google

lia vina frigidiora sint, & dilutiora, eorum arguere omnia id genus imbecillitatem, celeriusque perpeti cogere, quæ alioqui ipsa paulò post passura essent. Atque hæc est causa, cur lac, ptisanæ succus, & alia quæcunque eiusdem sunt generis, æstate citius acescant, quàm hyeme, posturareq; illa ædes frigidas, vt in his reposita plusculo perdurent tempore. Verùm hic acoris modus, qui à calore fit, non omnibus innotescit: nam vbi quidam affectus frigidus ab aliqua causa refrigerãte emanat, omnibus notus est: vbi verò talis ab aliqua causa calida factus est, exempli gratia, vbi infirmum vinum à circũsistente foris calore validiori digestum ac dissipatum acidum redditur, eos sanè, qui circa naturam exercitati non sunt, latet, ignorantes caliditatem mediocrem omnibus esse vtilem: immoderatam verò non minus frigiditate noxiam. Quamuis tamen acidus sapor vincente semper interna frigiditate oboriatur; cùm tamen in humano corpore ructus à causa calida in eam deducitur affectionẽ; frigida alimenta & crassæ substantiæ prodesse poterunt causæ id efficienti, & inde mederi symptomati, quod Tralianũ fecisse legimus.

Lib 4. simpli. c. 15.

Gal lib. 4. simp. c. 14.

Porrò ex acidis corporibus nonnulla secundum naturam acorem habent, alia præter naturam illum obtinent; secundum naturam vt poma, quorum quædam acida homines vocant, vt & quædam adstringentia; nonnulla dulcia; sic & mala quoque punica tum acida tum adstringentia, tum verò dulcia appellant. At in vinis adstrin-

gens

Digitized by Google

gens qualitas ab acida separata, vt bonitas à vitio, est: nam, quæ adstringenti qualitate prædita sunt, generosa sunt: acidum verò secundum naturam vinum nullum esse arbitratur Galenus lib. aduersus Lycum cap. 4. Quinimò si quid eis vel parum acoris accesserit, continuò vt in acetũ mutentur, fore suspicamur; vt hinc pateat causa, cur aceti aciditati acrimonia iuncta sit: fructuum verò nulla talis iungatur, quia fructuum aciditati nõ miscetur portio aliqua caloris præter naturã; fit eñ vt Gale. ait, à calore naturali incipiẽte quidem concoquere, sed nondũ perficiẽte: at acetũ cũ ex putredine generationẽ sortiatur, caloris præter naturã, τμπνεύμα reseruat: nam etsi vinosæ vini partes, dum ipsum in acetum trãsit, refrigerentur, aqueum tamen excrementum putrescens adscititiam caliditatem obtinet, velut cætera omnia, quæ putrescunt; quæ sanè cuncta, si Galeno creditur, calidiora ob putredinem redduntur; ob id certè, quod extraneus inductus calor vniuersam corporis putrescentis occupet molem, etiãsi ab ipso internus & genuinus corrumpatur; si quidem teste Aristotele, putrefactio est proprij naturalisque caloris in vnoquoque humido existẽtis ab externa caliditate corruptio. Sed tempus est, vt ad acidi saporis facultates accedamus, illud imprimis aduertentes, acidas propriè non esse facultates medicamentorum, quemadmodũ nec amaras, nec acres, nec dulces: nam hæ gustus dũtaxat sunt qualitates; sed facultates medicamentorum sunt emplastricæ, & his contrariæ exter-

Gal. lib. 4. simpl. c. 3.

Lib. de causis morborũ. c. 2. & 1. de differentia feb. 7.

Lib. 4. meteor. c. 1.

Lib. 5. de simp. med. facul. c. 26.

Digitized by Google

gentes, tum farctu liberantes, & infarcientes: præterea mollientes, indurantes, laxantes, contendentes, & his similes. Quas sanè facultates medicamenta operantur, quia tale vel tale sunt nacta temperamentum, & hunc vel illum substantiæ modum sortiuntur. Ob quas sanè occasiones acida incidere, extenuare, diuidere, farctu liberare, perpurgare (διαχωρητικὸν Græci vocant) citra calefactionem possunt. Mesues lib. 1. theoremate eodem, acidum, inquit penetrat, aperit, incidit, diuidit, tenuat, terget, densat, asperat, extinguit calorem; citò agit hæc opera: sed in medio valentium & imbecillium est, sua denique substantia tenui acre obtundit, dulci & insipido vigorem addit. Rursus acida appetentiam excitant; nam ab acida pituita famelici homines fiunt, quemadmodum ex dulci somniculosi, & ex salsa siticulosi redduntur: ita Galeno docente, libr. de plenitudine, capit. 11. & lib. 2. apho. comm. 21. dicebat, acidos humores, quos exorbuit os vẽtriculi, appetitus canini esse causam: ratione tradidit ipse lib. 1. de causis sympto. c. 7. scribens in hunc modum, Deprauata verò fit appetentia, si vehementiæ modum excedit, ac vocatur à nonnullis canina, cùm vel ob acidi humoris vitiũ ventriculus modicus infestatur, vel vbi totum corpus immodicè dissipatum assidua indiget nutricatione; quippe frigidi humoris vitium rosionem, quę suctioni proportione respondeat, inducit: appetentiam, haud aliter quàm naturale pathema excitat: atque cibi magis, quàm potus desiderium

Galen. vbi suprà.

Digitized by Google

rium affert, idque propter refrigerationem. Quia igitur ab acidis humoribus siue edulijs os vētriculi refrigeratur, vellicatur, atque comprimitur, inane redditur, quod inanitionem suam sentiens cibum appetit: siquidem appetentia actio est partim facultatis naturalis appetitricis, partim animalis sensitricis. Acida præterea scribente Galeno; lib 2. de facult. aliment. c. 21. cùm succum viscidum inventre inuenerint, ipsum incidunt, ac deorsum subducunt, ob idque deiectiones humectant: quod si ventrē purum inuenerint, ipsum magis sistunt; cùm tamen adstringentia, quantū in ipsis est, semper alui deiectiones cohibeant; quod si à cibo sumpta ventrem subducunt, id non per se, sed ex accidenti & secundariò operantur, quia, scilicet, compressis ab eis partibus superioribus cibaria, quæ in ventre sunt, trudūtur ad inferiora. Rhaze lib. 3. ad Almansorem, acidum (etsi immodice frigidum non sit) bilem flauam, & sanguinis feruorem reprimere, vacuū ventrem constringere, flatibus verò plenum subducere; coctricem hepatis facultatem imbecillam reddere; & neruosis partibus nocumētum afferre, ac corpus exiccare, affirmare manifestè visus est.

¶ *Saporē dulcē naturalem esse, gustuiq; gratissimum: ac quæ sint illius commoda & incommoda.* *Caput IIII.*

GRatissimi gustui, cùm naturaliter se habet, succi dulces sunt, vt cuncti medici

testantur, & experientia monstrat. Hi namque omnes docente Galeno. 1. de sympto. causis. c. 6. corporis substantiæ maximè consentientes habentur. sed cur periucundi sint, gustantibúsque maximè suaues, ratio est, quia sapor dulcis ex caliditate mediocri, & substantia non admodum crassa ortum ducit; vnde linguæ appositus moderatè aperit, moderatè calfacit, moderatè humectat, & moderatè citraq; violentiam apertos linguæ meatus subintrans diu ibi manet; quò fit, vt natura in tali temperie gaudeat, plurimumq; oblectetur. Necessaria fuit hæc oblectatio, quã dulces efficiunt succi, vt appeterentur, & à ventriculo allicerentur, quia auctore Galeno loco præcitato, ventriculus visceribus seruit, & venis, huiusmodi succos appetens, quales illi sunt necessarij, hunc præcedit linguæ iudicium: ipsa enim ijs potissimum delectatur succis, quibus ventriculus indigere videtur: atque huius consensus potissima causa est vestiens ipsa tunica. Necessarij ventriculi succi sunt, qui sibi consentientes existunt, & cum ipso reliquisque corporis partibus cognationem & similitudinem obtinent: tales namque nutrire, & quod de substantia illarum deperditũ ablatumque est, instaurare, atque reficere valent.

Bartholomæus Anglicus lib. 19. de proprietatibus rerum. c. 41.

4. *simp.* 15. Quare oportebat, inquit Galenus, innasci animantibus organum, quod naturæ similitudines ac dissimilitudines discernendi potestate polleret; quod cognoscens rerum naturas, familiaria quidem eligeret, aliena verò refugeret: eiusmodi ergo lingua est, quæ exuberanti sensu non calida modò

Digitized by Google

modò, frigidaq́;, humida, atque ſicca, ſed etiam, quę familiaria, quæq́ue non familiaria ſunt, agnoſcit. In hanc enim duntaxat particulam complures inſeruntur nerui, cùm aliæ omnes aut vnius tantùm, aut duorum ſint participes: nec eorum ipſorum ita magnorum tamen. Porrò cùm quędam naturæ noſtræ magis ſint familiaria, quædã minus, ac partim in haç coniugatione, partim in illa, neceſſariò plures guſtus qualitates extiterunt. Cæterùm omnium, quæ nutriunt, communis dulcedo eſt: nam quidquid nutrit, aut plus aut minus eſt dulce; his verò, quæ non nutriunt, commune eſt id, quod per negationem aut priuationem ſic dicitur, velut non dulce, vel indulce. Particulares autem differentiæ complures meritò euaſerunt, quia id, quod cuiq́ue rerum familiare eſt, vnum eſt, nempe quia & natura eius familiaris vna: aliena verò plurima partim plus, partim minus à ſubſtantia eius diſſidentia. Quæ itaque ſummè acida ſunt, acerba & amara, & ſimpliciter aliam quamuis qualitatem præter dulcem ſortita ſunt, ea omnia nutrire nequeunt, ſicut quæ ſolũ dulcia ſunt, omnia nutriunt. Cur verò hoc ita eueniat, cauſam idem attulit Galenus in eodem libro, c. 10. dicens, nutritionem eſſe vacuati repletionem; atqui quod euacuatũ eſt, familiare erat: quamobrem & quod nutrit, familiare ſit, neceſſe eſt. Porrò ſi familiare, & iucundum amicumq́ue fuerit, protinus etiam & ad id, quod nutrit, modicè calidum. Sed in hoç non parua eſt maioris minoriſq́ue ratio, quando nimirùm neque ad

Digitized by Google

cibos accedimus planè secundum naturam affecti: solum enim corpus eorum, qui cibum desiderant, inanitū sit, necesse est, si exacti futuri sunt familiaris ipsorum qualitatis cognitores: nam si præter id calidiores, quàm conueniat, aut frigidiores euaserint, seu toto corpore seu pertinentibus ad linguam ac ventrem locis, non solum quæ nutriant, verùm etiam quæ refrigerent, aut excalfaciant, postulabunt. Proinde sanè sibi quoque illis aliàs alij videntur iucundiores: nam cùm duplex sit genere iucundum, alterum, quod impleat id, quod euacuatum est, cuius modi est nutrimentum: alterum, quod medeatur ei, quod alteratum est, id, quod iam medicamentum esse constat, euenit vtique cibis, vbi nō modo vacuatis exhibentur corporibus, sed etiam qualitate aliqua mutatis, vt duobus nominibus delectent, vt cibi, scilicet, & vt medicinæ: sed vt medicamenta quidem refrigerando quædam, & excalfaciendo, & exiccando, & humectando exi ratione iuuabunt, & proderunt: vt nutrimenta verò sola ea, quæ cognata sunt & familiaria totis nutriendorum substantijs; protinus verò istis adest, vt conuenienter, scilicet, sint ad ea, quæ nutriunt, calida. hæc Gal. Ex cuius prælōga serie luce meridiana clarius fit, duplicem esse delectantiū alimentorum naturam, vti & duplex est illorum significatum: nam quædam delectant tanquàm cibi tantùm, quæ alimenta simpliciter dicuntur, vt chondrus, oua, caro, panis: alia non tantum vt cibi, sed etiam vt medicamenta, quæ

Cibi medicinales.

Digitized by Google
cibi

cibi medicinales à medicis communiter appellari solent, vt lactuca, ptisana, & similia. Hæc inquam, quatenus ad id, quod de substantia partium recessit, deperditumque est, instaurandum ingeruntur, alimenta sunt: quatenus verò id, quod alteratum est, corrigunt, & ad habitum naturalem reducunt, vicem obtinent medicamenti. Superest igitur, vt de temperamento dulcis saporis differamus, quod calidum esse ex eo probat Galenus, quòd fructus initio acerbi cùm essent, tempore matureſcentes dulceſcunt; ex quo sequi ait, dulcedinem ipsis à calore prouenire; nam si dulcedo maturatione acquiritur, & maturatio coctio quædam est, sequitur dulcedinem calore etiam acquiri, si verum est, coctionẽ omnem à calore proficiſci, vt Aristoteles & Galenus varijs in locis prodiderunt. Quòd autem fructus omnes à calido matureſcant, concoquanturvè, cunctis tum philoſophis, tum medicis perſuaſum est: tum quòd id ipsum duplex sit, alterum proprium, & cuique ingenitum, alterum externum à sole videlicet vel ab igne; sed tamen naturæ ipsorum conueniens, ac familiare; quare minimè mirandum est, quoſdam esse, qui non in arboribus, sed poſtea cùm decerpti, conditiſque aliquandiu fuerint, coctionis complementum nanciſcantur, & dulcedinem assumant: dulceſcunt etiam adſcititio calore omnia ea, quæ ab igne præparantur, ac proinde, vt Galenus ait. 4. ſimpli. 11. dum calida sunt, ſuauiora ijs, quibus 4. ſimp. c. 7

nutritione est opus, apparent. Ex quibus omnibus clarè intelligitur, saporem dulcem calidũ esse, non tamen immodicè, sed moderata caliditate; nam si (vt dictum suprà est) corporis nostri naturæ maximè similis existit, & ipsa temperatè tum calida, tum humida est: dulce similiter moderatè calidum humidumque esse debere necesse quidem est. Dulce testimonio Galeni concoquit, laxat, rarefacit. addit Rhaze ventris fluxum efficere, ventriculum mollificare, thoraci pulmoniq́ue conferre, corpus impinguare, & seminis generationi materiam tribuere. Mesues dulcis operationes esse dixit, lauare, lenire, obstruere, flatulentum esse: omnia autem hæc, eius sententia, præstat imbecilliter, nec citò, nec tardè, sed in horũ medio: acre autem, amarum, salsum quoque reprimit: sed insipidum roborat. Porrò dulcibus omnibus vitium ineſt, viscera obstruere; quemadmodum Galenus nos docet lib. 2. de alimentorum facult. cap. 8. & 26. & lib. 13. metho. c. 14. dicebat, Nouimus enim dulcibus omnibus tum iecur, tum lienẽ, maximè intumescere. Libro itẽ de succorum bonitate & vitio, cap. 4. in fine, illud de dulcibus, inquit, ac crassi succi cibis sciendum ac memoria seruandum, horum scilicet succo iecoris ac lienis vias impediri. Quod si viscera phlegmone præterea laborare paululùm cœperint, hanc ipsam valde augent: ratio est, quoniã dulcia vt plurimum crassæ sunt substantiæ, eò quod (vt dictum iam est) per concoctionem dulcedinem acquisierunt, quæ auctore Aristot. li. 4. meteo-

5 simp. 26. lib 3. ad Almansorẽ. 1.

In canonibus vniuersalib⁹, theorem. 1.

Cur dulcibus viscera obstruãtur.

Digitized by Google

meteororum.c. 4. omnia ſolet incraſſare; & viæ, per quas debent permeare, ſunt anguſtiſsimæ: tales namque ſunt venę meſeraicæ, & quæ in hepate ex amplis portæ ad iecoris gibas procedunt, per quas eorum omnium, quæ in corpus vniuerſum diſtribuuntur, tranſumptio fit: Quapropter in eis maximè impinguntur, quia ſubſtantia craſſa in itinere anguſto facilè hæret. Porrò additur & alia cauſa ſanè non leuis, quia vt amara, acerba, & acida non ſolùm ori & palato ingrata, verùm alijs pleriſq; viſceribus iniucunda, ita dulcia omnibus eiſdem accepta, familiaria, & iucũda adeò, vt ab illis ſæpè attrahantur immaturè. Quæ ſanè cuncta docuit Auicenna. 3. primi doct. 2. capit. 7. dicens, res præterea dulces ad obſtructiones faciendas ſunt veloces; quoniam natura eas attrahit antea, quàm concoquantur. &. 14. tertij, tract. 1. cap. 20. ſic ait, dulcia conueniunt hepati, quare impinguatur, & magnificatur, & cõfortatur: verùm velocia ſunt, vt faciant euenire obſtructiones; propterea quòd hepar attrahit ea impetuoſè aſſocians ea humoribus alijs; & propter hoc oportet, vt vitet dulcia ille, qui habet apoſthema in hepate ſuo. Verũ ſubdit deinceps, & nociliora dulcia ſunt, quæ ſunt ex eis craſſa, propterea quia faciunt euenire obſtructionem: & quæ ex eis ſunt calida propter conuerſionem ſuam ad bilem. Ex quibus verbis fortè colliget aliquis hoc vitium obſtruendi, ſeu obſtructiones faciẽdi, dulcibus tantùm craſsis ineſſe, non dulcibus tenuioribus; hæc enim proniora eſſe ad hoc, vt in bilem

Dulcia ori & palato & viſceribus iucunda, atque ob id à viſceribus immaturè attrahũtur.

Digitized by Google

vertantur, dixit Auicenna: illa ad obſtructiones molliendas opportuna magis. Veruntamē cùm dulcia quæcunque (quemadmodum dictum ſuprà eſt & Auicenna ipſe notauit) plerunque ante concoctionem à viſceribus attrahantur, dicendum, hanc vnicam cauſam ſufficere ad obſtructiones procreandas; etiamſi ſubſtantiæ craſsitudo haud quaquam accedat: nam Galenus lib 2. de alimento. faculta. ca. 8. ficus, dixit, licet ſubtilium ſint partium, ſæpè obſtructiones in hepate parere, eò quòd ante, quàm in ventriculo elaborentur, à partibus nutriendis alliciantur: ſunt enim cruda omnia inconfecta, atque ob id prompte obſtruere poſſunt, non ſequeſtratis partibus craſsioribus excremētorum, quæ per concoctionem ſecerni ac ſeparari ſolent. Rurſus eſt & alia in vniuerſum dulcibus omnibus noxa non contemnenda, quòd in naturis picrocolis, hoc eſt, amaram bilem coaceruantibus, prōptè in bilem vertuntur, vt Galenus teſtatur lib. 1. de criſibus, c. 12. dicens, In commentarijs de potentijs naturalibus oſtendebatur, quidquid alimenti ſupra modū calefit, præſertim ſi pingue ac dulce fuerit, verti in amarā bilem. Oſtenderat hoc libro ſecundo de naturalibus facultatibus, cap. 8. vbi cùm probaſſet ſatis humores intra corpus gigni; non autem in ipſis alimentis contineri, in fine capitis ſic ait, Atqui non mel modo, ſed etiam cætera dulcia vniuerſa in ſupradictis corporibus, quæ ex qualibet iam memoratarum cauſarum ſunt calida, facilè in bilem mutantur. Quod ſimili-

Digitized by Google
ter

ter confirmat lib. 6. epidem. parte. 5. com. 14. in eum scribens modum: Ex melle autem omnino- que ex dulcibus, cùm vehementiùs incaluerint, amaræ bilis contrahi humorem, in quarto de simplicium medicamentorum viribus commentario declaratum est. Cum hoc etiam quando hęc diutiùs in ventriculo morata fuerint, nec priùs distributa, nec concocta sint, luteam ex ipsis bilem procreari, euidenter percipimus; atque hoc commune est non solum dulcibus calidis, vt melli, sed etiam frigidis, vt lacti. Cuncta namque in naturis calidis biliescunt facile; hoc tamen est discrimen, quod calida dulcia frigidis naturis auxiliantur, quia in probum sanguinem conuertuntur; nisi aliqua in flatus vertantur, vt vina dulcia, quæ in frigidioribus ventriculis solent flatus generare, & illis ventriculum distendere; dulcia verò frigida, vt in picrocolis prǫptè biliescunt, sic in pituitosis acescunt; quemadmodum de lacte pronuntiauit Galenus lib. 6. aphor. comm. 64. vbi scripsit, lac duplicem habere alterationem; nam quando in multo versatur calore, statim in nidorem abit; quando autem in pauco, citò acescit. & subdit, Tibi licet perdiscere partim statim cùm ex mammis excidit in ignem elixati, partim ipsum iacere per se ipsum permittenti: nam dum concoquitur, in nidorem fit abitio; neglecto autem acor omnino aduenit vel citius, vel tardius. Sic autem in sanis, si non benè concoquatur, in quibusdam acescit, in alijs autem nidorem con-

Lac duplicem alterationem habet.

Digitized by Google

concipit: in ventriculo quidem refrigidiori acescit; in calidiori verò nidorulentum euadit. Si verò bene concoquatur, nutrit, & bonos facit humores. hæc Galenus. Cæterùm causam reddamus, ob quam dulcia omnia & pinguia in calidis naturis facilè fiant bilis, qua ratione sitim excitant; porrò causa est, quòd multas partes aëreas habent, quæ facilè in bilem degenerant: quēadmodum aër promptè fit ignis propter naturarū mutuum symbolum: sed dulcibus multò magis acria flammam veluti referentia; & amara atque salsa carboni similia in bilem vertuntur, propterea quòd dulcibus multò sunt calidiora, & maiorem consensum cum bile obtinent. Si cui verò dulcia officiunt, Auicennæ sententia tertia primi, acida capiat, verbi causa acetum, mala punica, syrupum acetosum, cotoneorum succum, & similia: & ventris vtatur deiectione. Contraque si acida nocent, post ipsa mel sumat, aut vinum vetus. Similiter pinguium noxa acerbis emendatur, putà sycaminis, myrti baccis, siliquis syricis, mespilis, & sorbis; itidemque amaris, salsisq; & acribus, veluti helenij radice condita, salsamentis, bellarijs, allijs, & cepis, & èdiuerso. Dulcia quin etiā, eodem docente Auicenna, cùm auidè à natura rapiantur, priusquàm integrè coquantur, sanguiné vitiant. Acida maciem seniumve inducunt: acria verò & salsa stomachum præcipuè lędunt, salsa tamen oculis etiam nocent. Si post aliquod pingue obsonium, quamuis laudatissimū, aliud praui succi sumatur, ipsum proculdubio corrūpet. Verùm

Doctrin. 2. cap. 7. prope finem.

Vbi suprà.

Digitized by Google

Verùm de ſapore pingui, ſalſo, & acri, nondum actum eſt: ſed deinceps agendum.

¶ *Saporem pinguem ſub dulci comprehendi, ac quæ ſit eius temperies atque facultas. Cap. V.*

DIctum ſuprà eſt, quod nutrit, dulce eſſe aut in dulcium genere contineri; nutrit ſimiliter & pingue; quò fit vt quidquid corpori alimẽtum præbet, dulce ſit aut pingue, quod Galenus voluit lib. 4. de ſimplicium medicam. facul. c. 9. ſcribens in hunc modum, Quicunque fructus oleoſi ſunt ſolummodo, edendo ij ſunt & dulces. & paulò inferius ſubſcribit, Rurſum mihi hic memoria repete, quæ ſæpè ante dixi, quædam eſſe, quæ vna, quædam quæ duabus in ſeſe qualitatibus & agunt & patiuntur: quædam verò etiã totis ſubſtantijs ſuis, quorum in numero & medicamenta non pauca poſui; & nutrimenta vniuerſa; horum duplex eſſe genus, apparet, prout ſignificauit Theophraſtus, nam quædam ſunt pinguia, veluti pinguedo; quædam dulcia magis minusvè, velut fructus omnes, quibus veſcimur; & carnes animalium, tum herbæ item multæ ac radices, floreſq́ue & germina: nam tametſi inter ea quædam acerba ſunt, ſicut pira ſylueſtria, & corna, omnino tamen dulcedine participant, niſi ſummè ſint acerba, velut galla & rhus. Verũ ob hæc iam pro medicamentis his magis, quàm pro cibis vtimur. hæc Galenus. Vnde Ariſtoteles

pinguia

pinguia & dulcia optima esse, & nobis gustui suauissima, eademque omnia valde nutrire, & decoqui facilè posse lib. 21. problematum problemate. 13. memoriæ mandauit. Verùm cùm frustra per plura efficiantur, quæ per pauciora effici queunt, diximus, pingue ipsum dulce esse, & quidquid nutrit dulcedinem habere coniunctã, aut sub dulcium genere comprehendi. Comprehenditur interdum sub pingui & ipsum dulce, dicente Galeno lib. 6. epidem. parte. 5. com. 14. pingue intelligendum esse non solum vnguinosum, sed etiam dulce, & prorsum, quod naturaliter se habentibus suaue est. Verùm cùm de his abundè dictum sit, satius est, vt ad ipsam pinguis saporis naturam perueniamus. Pingue omne calidũ esse. 3. de partibus animal. capit. 9. & lib. 4. eiusdem tituli capit. 3. Aristoteles est auctor. Cui Auicenna subscribit. 1. parte cant. tex. 31. dicẽs, omne habens dominiũ pinguedinis & vnctuositatis est calidũ & humidũ. Gal. itidem lib. 11. de simp. med. facul. Omnis pinguedinis facultatẽ humectatoriam esse & excalfactoriam humanorum corporum expresis verbis asserere visus est. Nec dicendum hoc illi ex accidẽti, extrinsecus vè aduenire, quatenus videlicet, sua densitate caloris effluuium cohibet, detinet, ac exire non permittit: quoniam effectiones, quæ ex accidenti eueniunt, non sunt quæ medicamentis nomenclaturas tribuunt: sed quæ ab illis de per se, primarioq; oboriuntur: aliter namq; plumbi lamina calida esset, quoniam superposita tubercula resoluit, digerit,

Digitized by Google

digerit, ac subsidere facit; & scamonium pariter frigidum existeret, siquidem bilem educit, qua euacuata corpus frigidius redditur: & sic nihil ratum nec firmum de simplicium medicamentorum facultatibus Galenus doceret, quod non videtur asserendum. Est igitur pinguedinis facultas calida, non frigida, vt censuerunt non nulli. Quod similiter natura eius demonstrat: nam docente Aristotele libro. 2. de generatione animalium, capit. 2. Pingue nec terræ, nec aquæ est, sed spiritus. & libr. 2. de partibus animalium, capit. 5. dicebat, pingue inter humida ignis & aëris esse commune. Porrò illud calidum esse generatio non minus ipsius manifestat: efficitur namque per concoctionem, quæ caloris semper soboles est: quare vt in combustis siccis, velut cinere aliquid ignis relinquitur, sic in concoctis humidis nonnihil caloris, qui effecerit, remanet, quò fit vt pingue leue sit, & humoribus insideat, atque fluitet, ita eodem tradente Aristotele libro. 3. de partibus animalium, capit. 9. quæ etiam causa est, cur pingue fœdum nunquàm expiret odorē, quemadmodū nec os, nec pilus, quia vt Aristoteles ait, Pingue concoctum est, ossa & pili humore vacant. Quod si aliquis requirat causam, cur pingue densum sit, si leue calidumq; est, nam ratio contrariū exigere videtur, cùm densum frigiditatem potiùs ostendat, quàm calorem, scribente Gal. lib. 3. de simplicium medica. facult. c. 5. frigidū contrahere constipareque, & substantiam reddere immobilem, aut

Li. 11. pro blematū. 4

Digitized by Google

aut ægrè mobilem: calidum verò rarefacere, fundere, coquere, mouere. Pingue autem densum esse Aristoteles literis mandauit: nam lib. 10. problematum. 21. reddens causam, cur nullius animalis lingua pinguis sit, inquit, quia pingue vnumquodque densum est: lingua autem rara sua natura (ipsius opinione) propterea esse debet, vt percipere possit genera saporum. Dicendum pingue per concoctionem fieri, vt ex Aristotele varijs ex locis deducitur, coctionemque omnia cogere densareque, vt eidem Aristoteli & Galeno fuit visum. Quare nihil impedit pingue aëreum esse ac igneum simul ac densum: nam densitatem non ex propria obtinet natura, sed illam per concoctionem acquisiuit. Nec tamen pingue omne densum censeri debet, cùm ex pinguibus corporibus plurima tenuia sint: nam Gale. lib. 6. de simplicium medicamentorum facultat. oleum tenue esse ex eo iudicat, quod perluceat, quod purũ sit, & quod plurimum minima eius portione inungatur; facileq; à cute coimbibatur. Maioris tamẽ momenti est Auicennam cum Aristotele conciliare; nam Aristoteles (vt ostensum superiùs est) pingue, nec terræ, nec aquæ, sed spiritus & ignis, aëriſque commune esse dicit: cùm tamen Auicenna saporem vnctuosum notatu dignam aquositatem secum admistam habere protulerit. Huic obiectioni respondendum arbitror, corpora cuncta ex quatuor elementis componi, impari tamẽ mensura, quod enim vnumquodque ex tanto calido, frigido, humido, & sicco quodammodo est

li. 2. de partib. animalium. c. 5. et lib. 3. de histo. anima. cap. 19.

Arist. li. 4. meteo. c. 4. & Gal. 2. progno. cõ. 33. & li. 4. de victu acutorum com. 4.

Lib. 2. canonis, tract. 1. cap. 3.

att empe-

Digitized by Google

attemperatum, idcirco hoc dulce, illud amarum, salsum, acerbum, austerum, acréve apparet, ita Galeno docente lib. 1. de facult. alimentorum iuxta finem. Quare nihil mirādum est, pingue aëreum, igneumque esse, & aquositatem admistam habere; nam illa à prædominio obtinet, hanc verò sub parem & inferiori mensura. Quod manifestè significauit Auerroes lib. 5. collectaneorum. c. 27. sic scribens, Vnctuosus sapor dictus hoc habet, quod in eo pars aërea dominatur cum modica aquositate: & propterea, subdit, calor ipsius est minor, quàm calor dulcis. Respondeti etiam potest, pingue duplex esse, vnum admodum tale, aliud leuiter, quod admodum pingue est, aëreū est tantum & igneum; quòd verò leuiter, aquositatem non exiguam obtinet admistam. Cæterū quod Auerroes ait, calorem pinguis minorē esse calore dulcis, mihi ambiguitatem parit non mediocrem: nam si pingue ex dulci fit per vlteriorē caloris elaborationem, eius calor dulcis calore maior erit, non minor, vt censuit Auerroes; assumptum autem ex Aristotele probari non obscurè potest dicente, adipem & seuum sanguinē esse concoctum; & alibi fieri per concoctionem ex sanie sanguinem, & ex sanguine adipem. Vnde Gale. lib. 4. de sanitate tuen. cap. eodem quasdam nubeculas vrinæ supernatantes similes rebus, quæ in summo lacte colliguntur Græcè, γήανς, dictæ; & rei, quæ in summo refrigerati iusculi concreuit, insanis laudat, tanquàm exactæ concoctionis indicium. Quæ sanè cuncta manifesto

Idē Aui. li. 2. tra. 1. c. 3 et Fulginas eūlocū enarrans calorē dulcē dimēē efficientē potentiorē esse eo, quem cuuoſitatēē efficit, manifestus verbis asseruit.

Arist li. 2. de par. anim. al. c. 5. et lib. 3. de hist. anima. cap. 19.

Digitized by Google

festo argumento sunt, pingue à vehementiori efficiente calore, quàm dulce: nec locum aduersus hoc habet dicere, mel, dulcissimum cùm sit, pinguedine esse calidius, quia non omnem caliditatem, qua præditum mel est, ex dulcedine obtinet; sed plurimam ex acrimonia possidet: Quò fit vt si illud magis, quàm pinguedo, calfaciat, id non dulcedinis, sed acritudinis occasione efficiat. Huic dubitationi non aliter (meo iudicio) responderi potest, quàm si dixerimus, pinguem saporem duplicem habere ortum, vnum ex dulci, alterum ex aqueo à natiuo calore elaborato atque concocto, hunc dulci minus esse calidum, perspicuum est, sicuti alterum, qui ex dulci proficiscitur, dulci ipso esse calidiorem, nemo inficias ibit, qui in Aristotelis & Galeni doctrina versatus abundè fuerit. Vtcunque tamen sit, pingue tepidæ caliditatis dici debet, adeò vt primum calfacientium ordinem non transcendat. Dicuntur au-

5 simp. ca. ultimo.

tẽ à Galeno primo ordine calfacere illa, quę nos quidem excalfaciunt, non tamen euidenter: verũ vt opus insuper sit demonstratione rationali, hoc est, vt ego quidem interpretor, rationali discursu; exempli gratia, nuces excalfaciunt, verùm tã languide quidem, vt si per totam diem cuti nostræ admotæ manserint, earum calorem percipere vix queamus. Quomodo igitur excalfacere illas deprehendimus? ex eo inquam, quia deuoratæ capitis dolorem inducunt; & capitis dolor ascẽdentibus vaporibus à vẽtriculo in caput fit, qui à calore semper eleuantur. Simili itidem discursu

Digitized by Google pingue

pingue dicto ordine excalfacere iudicamus; quoniam emplaſtricũ eſt, & ſuppurationem promouet, & quæ ſuppurant, moderatè calfaciunt, nec ad ſecundum ordinem protrahuntur; hoc intelligendum eſt de ſyncero pingui, nec alteri ſapori permiſto; quia tauri & hirci pinguedo, teſte Galeno lib. 4. de ſimp. medicam. facult. c. 6. acrimoniam & multam & igneam poſsidet, bouis item ouiſque adeps acris eſt; nam talium animalium pingue, vt ipſe Galenus ait, ob craſsitiem adeps appellatur. Quò fit, vt cùm vehementer digerat, emplaſtricum eſſe nõ poſsit, ne poros obſtruat, nec ſuppurationi opituletur; ſiquidem emplaſtricum eſſe debet eius generis medicamentum, vt exactè ſuppuratorium ſit: nam docente Galeno, ſi ſubſtantiam inati caloris augere, non intendere qualitatem ipſam conueniat, poros corporis obſtructos eſſe neceſſum eſt, quò videlicet halituoſos tranſpiratus includant; ſiquidem ea cataplaſmata, quæ aut detergentia, aut validius excalfacientia halitus diffiari permittunt, exiccant quidẽ, ſed pus nõ mouent: talis eſt hordeacea, cicerum, fœnugræci, fabaceaque farina: amplius etiam erina, eruina, panici, lupinorum, milij, omniumque adeò exiccãtium; quippe cùm tum per ea, quæ detergunt, etiamſi non admodũ excalfaciant: ſed quia obſtructione liberant, reſerantque meatus, vnâ quoque calor particulæ euolet, vt naturalis haud quaquàm ſeruetur ei commoderatio, tum ab admodũ excalfaciẽtibus huius etiam non parum vacuetur, & qui reliquus *5. ſimp. 9.*

Digitized by Google

est,incalescat,ex quo fit,vt naturalis caloris substantia diminuatur, sed qualitas intẽdatur;quorum neutrum fieri expedit. Verùm halituosum & calidum spiritum contineri quamplurimum, & ad vnguem caliditate symmetrũ,quippe cùm hic in pueris copiosissimus omnes actiones naturales adaugeat. Porrò autem vnum ex naturalibus operibus est ea,quæ in pus fit conuersio;nã & illic quædam perficitur coctio: cùm aũt quicquam concoquere consilium est, quamplurimũ spirituum seruari intus oportet, atqui digeritur tum ab euaporantibus ac detergẽtibus,qualis est hordeacea,fabaceaque farina,tum à resiccãtibus, qualis est panici, lupinorum,milij: tum ab excalfacientibus,qualis est fœnugręci:quin multo etiã magis ab ijs,quæ simul & excalfacere, & resiccare possunt, puta lolio,eruo,cicere, ochris. Quia igitur dictæ pinguedines ob acrimoniam meatus referant, & natiui caloris qualitatem intendunt,& eius substantiam dissipant,ac minuunt, idcirco suppuratoriæ non sunt:adeps itidem quicunque, dum inueterascit, seipso calidior & tenuior efficitur,ac proinde quoque valentius desiccans; verùm id, si Galeno creditur,omnibus sere inueterascentibus accidit, quæ quidem putrescere non anticipent: nam vinum,mel,acetũ, frumentum,butyrum,æsipum,oleum omne,siue lentiscinum,siue cicinum,siue raphanínum, siue ipsum,quod ex oliuis conficitur,vetustate & calidiora, & tenuioris essentiæ efficiuntur;ac proinde gustantibus apparent acriora. Quæcunq; verò pingue-

Li.11.sim. tit.de pinguedine & adipe.

Digitized by Google

pinguedines nondum vllam nactæ sunt acrimoniam, eodem auctore Galeno emplastricam, & illiniendi poros facultatem obtinent, eamque tantò efficaciorem, quantò sicciores magisque terrenę fuerint; cuiusmodi est suillus adeps, qui nõdum vetustatem est passus, ac cera elota: deponit siquidem & ipsa, quam habebat à melle acrimoniam. Quod si aliquis exigat causam, cur hircinus adeps dysentericis tantopere prosit, cùm contrarium potiùs ratio suadere videatur: nam cùm dysenterici ab acribus humoribus infestentur, potiùs ab hircino adipe lædi, quàm iuuari debebãt, addita ab adipe humoribus ipsis acrimonia altera: respondet Galenus lib. 11. simpl. dicens, ijs qui mordicationes perpetiuntur, aut in recto intesti no, aut in colo, potiùs caprinum adipem, quàm suillũ cõuenire, non quòd acrimonias plus obtundat (nam ex natura sua suillus obtundit magis, ac proinde miscetur medicamentis vlcera curantibus, cuiusmodi est, quod vocant parygrum) sed quòd caprinus ob crassitiem citius cõcrescat; suillus autem instar olei defluat: proinde ipsum potiùs dysentericis & tinesmosis inijcimus, quando morsum eorum mitigare consilium est. hæc Gal. Sed de his satis. Quare quid pingue in nobis efficere queat, deinceps explicemus. Oleosum, teste Galeno, humectat, emollit, laxat. Mesues li. 1. de re medica theoremate eodẽ, vnctuosum, inquit, lenit, lubricat, laxat, mollit, abominabile est, & nauseabundum, flatusque gignit, obstruit; verùm, subdit, hæc omnia imbecilliter & tardè

4. *simp.* c. 6.

Tit. de pinguedine & adipe.

5. *simp.* 16.

Digitized by Google

tardè perficere; suaque mediocri substãtia acre, amarum, salsum reprimere. Est etiam pingue omne ventriculo incommodum, vt scribit Rhaze lib. 3. ad Almansorem. c. 1. dicens, Vnctuosum stomachum emollit, & ventrem fluere facit, ac satietatem affert anteà, quàm homo cibi quantitatem sibi necessariam assumat. Quod multò antè docuit Galenus lib. 1. de alimentorũ facul. cap. 30. vbi de sesami semine verba faciens, sic ait, Sesami semen pingue est, ideoque repositum celerrimè fit oleosum; quamobrem eos, qui ipso vescuntur, celeriter implet, stomachumque subuertit; ac tardè concoquitur, pingueque corpori præbet alimentum. Liquet ergo, quòd ventriculi partibus vigorem ac robur addere nequit; quemadmodum neque aliud quoduis pingue. Galenus hactenus. Vnde Auicenna omnia olea & propriè butyrum & vnctuosa prosternere appetentiam, aut ipsam debilitare, asseruit, eò quòd ventriculum laxant, ac emolliunt, & venarum orificia obstruunt. Addit Rhaze calfacere permaximè febrientes, vel habentes iecur vel stomachum calidum; corpus præterea humectare, atque lenire: pituitam augere, cogitationem reddere hebetem, & somnum intendere. Cur verò stomacho robur addere non possint, est, quia, quæ ventriculo robur addunt, adstringere solent; cùm tamen pinguia omnia ventriculi fibras emolliant, laxent, atque dissoluant, quæ causa est, cur plerumque illa à ventriculo dilabantur inconfecta, vt notauit Isaac lib. dictarum vni-

13. tertij tra 2. c. 9. in fine.

Digitized by Google

vniuersalium, lectione. 18. Et lib. dietarum particularium, cap. de pinguedine, ex Rufi sententia dicebat, pinguia ob sui lubricitatem stomachum & intestina non cocta egredi; quare lientericis & cæliacis maximo erunt nocumento, ijsque solis, qui siccam admodum & adstrictam aluum habent, ex vsu esse poterunt.

Sapor hic simul ac dulcis, acidus, atq; austerus, cuncti sanè ex acerbo tanquã ex fundamento, origine atq; fonte prodeunt, ac emanant eo modo, quo Gal. docet li. 4. de simp. medic. facult. cap. 8. scribens in hunc modum. Ergo austerum quod sit acerbum exolutum, sensum ad memoriam reuocare oportet; atque quæ sit eius generatio nũc dicetur, quandoquidẽ corpus acerbum terreũ est ac frigidũ, tripliciter necessariò exoluitur, aut incalescens, aut humescens, aut vtrumque simul perpetiens: itaque si incalescat duntaxat, nec sit humidius, nec mollius; sed durum manens, solum acquiret dulcedinem, velut robustæ glandes, ac potissimum quæ vocantur castaneæ: sin autem humescat, siquidem ea crassarum sit partium, & aquea humiditas, austerum euadet: cuiusque enim saporis vires aquea retundit, atque hebetat humiditas: si verò tenuium partium sit, & aërea, acescet. Ostensum namque est, frigidum subtile acidam efficere qualitatem: at si pariter humescat, & calefiat, humiditate quidem aquea in dulcedinem, aërea verò transibit in pinguedinem. Ex his perspicuum euadit, quo pacto fructus principio acerbi cùm sint, processu temporis

Digitized by Google

quidam planè dulceſcant, quidam aceſcāt; nonnulli fiant auſteri, aliqui etiam acerbi permaneāt: tum quidam etiam pingues reddantur: & ſanè ſecundum propoſitarum qualitatū miſturas variā ſortiuntur mutationē: ſed de his ſatis: quare tempus eſt, vt ad alium ſaporem explicandum perueniamus.

¶ *Quæ ſint ſalſi ſaporis cauſæ, quæ illius effectiones, ac cur ſitim magis, quàm amarus inferre poſsit?* *Cap. VI.*

Sapor ſalſus.

SApor ſalſus dulci calidior eſt, vt docet Ariſtoteles lib. 23. problematum. 30. quod ſimiliter confirmare videtur Auerroes lib. 5. collectaneorum cap. 27. dum ſic ait, Supra complexionem ſalſi dominatur pars ſicca aduſta, in qua miſta eſt pauca humiditas, & calor ſuus maior eſt calore vnctuoſi. & Gal. lib. 5. de ſimplicium medicamen. facult. cap. 26. dicebat, ſalſum terreſtre eſſe calidum, nondum tamen igneū. Caloris ordinē expreſsit Iſaac lib. dietarum vniuerſalium. c. 12. inquiens, in fine gradus ſecundi illum calfacere & exiccare: verùm licet ſalſi ſaporis calor ſupra calorem dulcis habeatur, ex dulci tamen ſalſum non fit, ſed ex ſalſo interdum dulce: quod ex Ariſtotele probari non obſcurè poteſt lib. 23. problematum, problemate. 31. vbi quærens, cur maris pars terræ proxima dulcior ſit? Reſpondet, quia frequentius mouetur; ſubditque ſalſum humorē cùm mouetur, dulciorem reddi: cuius ſalſi ſapo-

ris

zis subſtantia inter tenuẽ & terreſtrẽ craſſam media eſt: terreſtri tamen propinquior exiſtit. Habet etiam & aquei humoris non exiguam portionem, quare nec prorſus terrenus, nec tantùm aqueus eſt ſapor ſalſus; ſed ex amborum permiſtione quandam materiæ mediocritatem ſortitur, quòd generatio eius demonſtrat: nam partes terrenas aqueæ materiæ permiſtas calor externus præaſſans & adurens ſiccanſque, ſalſum ſaporem producit, fitque à terreno ſicco, quod in aqueo humido caloris vi præaſſatum, attenuatumque exiſtit. Quare cùm ex ambobus componatur, mirandum non eſt, ſi lauet & contrahat, amborũq; effectus nanciſcatur, vt infrà dicetur: lauat enim ratione humidi aquei, contrahit atque conſtringit terrei ſicci occaſione. Hanc ſalſi ſaporis cauſam tradere viſus eſt Ariſtote. lib. 2. meteororũ, cap. 3. de maris ſalſedine verba faciens: nam ait, ob id mare ipſum ſalſum reddi, quia ſol tenuiores aquæ partes extrahens, & in vapores effundẽs, craſsiores veluti torret, atque adurit, quæ vnà cũ crudioribus ipſius aquæ partibus permiſtæ ſalſedinem faciunt. Ad cuius probationem de aqua per cineres collata exemplum affert. Auicenna hoc iſto exemplo probat ſaporem ſalſum proue nire ex reſolutione amari in inſipido aqueo, quod cùm colatur, ſicut aqua cineris, ſalſum fieri ſcribit. Veruntamen Manardus hunc ſalſedinis ortum haud quaquam admittit, qui contra Auicennam tenet ex miſcella bilis & pituitæ qualiſcunque ea ſit, naſci ſaporem ſalſum non poſſe,

Iſaac lib. dietarũ vniuerſaliũ, cap. 12.

Li. 2. trac. 1. cap 3.

Lib. 18. epiſt. 5.

Digitized by Google

nixus exeplo aquæ copioſioris, cui exigua aloes portio permiſta eſt, quæ amara, non ſalſa appareret, & pituitæ ſimiliter per vomitum ab ægrotante eiectæ, cui miſtam eſſe bilem, amaror in ore vomentis relictus oſtendebat: tam exigua tamen quantitate, vt oculatiſsimi hominis viſum penitus effugeret. Cæterùm dici poteſt ex miſtione rei amaræ cum inſipida ſaporem ſalſum non oriri, dummodo non accedat actio caloris aſſantis, aut ebullire facientis; nam ſi acceſſerit, tunc ſalſus conſurget ſapor, vt in lixiuio videre eſt, quod ex feruenti aqua per cineres transfuſa fit; cùm tamen cineres amari ſint, aqua verò inſipida. Rurſus ſi ſalſum vlterius excalfactũ amarum efficitur, abſumpta nimirùm per calfactionem parte aquea, vt cùm de amaro ſapore verba faciemus, dicetur: eadem aquea parte ſuperueniente tale illud reddemus, quale antea erat, nempe ſalſum. Quæ omnia manifeſtè declarant verum eſſe, quod ab Auicenna prolatum eſt, ſaporem ſalſum prouenire ex amari reſolutione in inſipido aqueo. Exigitur hic aqueus humor ad illius generationem, ſine quo ſapor ſalſus conſiſtere aut permanere non poteſt, quãdoquidem eo abſumpto non amplius ſalſus remanet, ſed protinus amarus redditur, terreſtri portione vnà cum calore tantũ remanente. Porrò aqueam materiam in ſalſo corpore omni reperiri, ſal ipſe manifeſtat, qui dum igni iniſcitur, mouere crepitum ſolet; quod nulla alia occaſione fieri putat Ariſtoteles lib. 11. problematum

Auicennæ ſententia explicatur.

Digitized by Google

matum problemate .26. nisi quia sal parum humoris intra se continet, quod mox à calore ignis conuersum in spiritum violentoque exiliens impetu sale rupit. Et licèt teste Platone in Thimeo, Odor omnis aut fumus sit aut caligo, ac docente Galeno, odorabilium vaporosa existat substantia, quæ ab humore semper eleuatur: salsa tamen cuncta inodora sunt; quoniam humidum, quod habent, aqueum est, quod semper odore priuatur; vnde euenit, vt quæ aquea sunt corpora, nullum ex se odorem spirent. Galenus libro .4. de simplicium medicamentorum facultatibus. c. 22. ob id ab exactè tum salsis, tum acerbis odorem non prouenire censet, quia crassa vtriusque essentia est; & ad hæc acerborum etiam frigida; quare verissimile esse ait, quod ab ijs defluit, paucum esse & crassum, & molle sua velut terreum, ac proinde per inspirationem in cerebrum non incidere. Sed cur salsa siticulosa magis sint, quàm amara, si illa humentiora sunt, & minorem obtinent calorem? ratio est, quia amarorum minus desumimus, salsorum verò plus; amara sanè cuncta abhorret & abominatur natura, salsa appetit, & concupiscit abundè, gratáque magis palato hominis sunt, vt scripsit Thephrastus. Quò fit, vt talia condimenti loco habeantur, ferèq; nullum edulium existat eorum, quæ igne præparantur, aut coquuntur, quod cum sale nō esitetur. Adde salsa colliquefieri, & in ventriculo ac ipsius ore imbibi, impingique, & vndequaque partem ipsam

4. simp. 22

Lib 6. de causis plantarum c. 1.

Digitized by Google

ipsam alterare: cùm tamen amara in existimã tantùm superficiem agant, nec intimius peruadere queant. Penetrant itaque salsa magis; quàm amara, non ita tamen velociter, vt acuta; quemadmodum testatur Gale. lib. de oculis. Num verò salsa pituita maiorem sitim inducat, quàm bilis flaua, contendant ascitici, & ardente febre laborantes, quorum hi quidem ob biliosum humorem, illi ob salsuginosum summopere sitiunt: nos verò propositam considerationem prosequamur. Galen. lib. de oculis, salsum saporem lauare & mundare scripsit, qua occasione aluum quoque deijcit: nam vt ipse ait lib. de attenuante victus ratione, cap. 3. incidunt, & quæ saporem quendam habent nitrosum aut salsum, quorum etiam plurima aluum deijciunt: atque hinc est, vt idem lib. 3. de simplicium medicam. facult. c. 15. dicat, cõchularum maris cæterorumq; ostreorum succũ planè tum salsum esse, tum ventrem soluẽdi vim obtinere: quamuis eorum caro vẽtrem reprimat. Lib. tamẽ. 5. eiusdem operis. c. 26. salsum, inquit, contrahere, constringere, condiendo seruare, & desiccare citra apertam, aut caliditatem, aut frigiditatem. Auicenna similiter lib. 2. tract. 1. capit. 3. Operationes salsedinis, inquit, sunt absterſio, ablutio, & exiccatio, & putrefactionis prohibitio. Porrò sal conditura sua corpora siccat, & à putredine tuetur, quia docente Galeno, quidquid in corporibus humidum inest, id quodammodo absumit, & quod reliquum est substantiæ solidæ adstrictione contrahit. Quippe quæ putrescunt, excre-

Par. 5. c. 2.

Li. 11. sim. tit. de sale.

Digitized by Google

excrementitium continent humorem, ſubſtantiamque tum diſſolutam, tum minimè compactam. Quibus ergo corporibus nulla prorſus eſt humiditas ſuperflua, ceu melli optimo, aut corpus ſolidum eſt, atque cõpactum ceu lapidibus, ea vt putreſcant, aliena omnino ſunt, ac proinde in his ſalis non probatur vſus: ſed in ijs, in quibus ſuſpecta eſt putredo. Alteram iſtarum cauſarum protulit Ariſtoteles, alteram ſiluit lib. 21. problematum. 5. dum quærit, cur panes non ſaliti plus ponderent, quàm ſaliti, modo cætera omnia pari habeantur menſura: contrarium namque veriſimilius dixeris, cùm ſal adijciatur, & grauior ſit, quàm aqua: & reſpondens inquit, quia ſal exiccare poteſt, ex quo incorrupta ſeruantur, quæ condita ſale reponimus: abſumitur enim à ſale, reſiccaturque humor, qui ex calore putreſcit: in pane igitur humor à ſale conſumitur, extraque efflatur. Quo circa panes poſtquàm refrixerunt, leuiores, quàm calidi ſunt; contra ijs, qui ſale vacant, humor largior inſidens efficit grauiores. Atque de ſalſo ſapore hæc paucula dicta ſufficiant. De nitroſo non eſt in præſentia ſermo, vtpote qui ad ſalſum referatur, nec niſi intenſione differant, dicente Galeno lib. 1. de ſimpliciũ medicament. facult. cap. 36. ſaporem ſalſum aut nitroſo eſſe imbecilliorem, aut adſtrictionis quoq; aſſumere aliquid, amarumque ex nitroſi proue nire intenſione. Ambigit enim ſapor iſte inter ſalſum & amarum, eſtque amrao remiſſior, & ſalſo intenſior.

Cur panes ſaliti leuiores fiant non ſaliti.

¶ Amara

¶ *Amara gustui esse detestabilia, & à nutrimenti natura maximè aliena. Ac quæ sit inter illa & salsa differentia.* Cap. VII.

Amarus sapor.

AMarus sapor à salso diuersus est: nam licet terreni ambo sint, & calidi; attamen docente Galeno. 4. de simplicium medicamentorum facultatibus. c. 21. non obscura diuersitate dissident, quòd videlicet amarus à calore arido plus sit extenuatus & elaboratus. Hanc differentiam assignat etiam Serapio libro de simplic. temper. cap. 2. vbi de salso sapore loquens sic ait, Salsus sapor est propè amarum, quia sunt ambo terrei & calidi, sed differunt differentia manifesta, quia rem amari saporis iam subtiliauit calor siccus, sed plurimum substantiæ salsi est terreum crassum. Galenus porrò capit. 9. eiusdem quarti libri citati dicebat, amarum omne fieri caloris excessu, quem excessum nonnulli medici notarunt dicentes tertij esse ordinis calfacientium, & tertij itidem exiccantium: alij ordine secundo tantùm exiccare arbitrantur. Galenus lib. 4. de simplicium medicament. facultat. cap. 7. simpliciter amara omnia calida esse scripsit, vt bilis, nitrum, vina valdè vetusta, ac numerosa seminũ copia, vt rutæ, porisimum siluestris, tordyli, spondyli, melanthij que, & mali medici, item lupini, orobi, & alia huiusmodi. Verùm licèt in hoc loco ordinem amari saporis nõ designauerit: libro tamẽ 6. id feciisse videtur, nã cùm dixisset abrotonum calidum esse & siccum facultate in tertio ordine

Titulo de abrotono.

siue

siue recessu post media situm subdit; sed & inueniemus temperiem eius non minimè quidem & ex gustu ducta coniectura, vtpotè cùm sit admodum amarum: ait itaque abrotonum tertio ordine calidum esse & siccum ob id, quia admodum est amarum, innuens clarissimè, quæ hoc sapore sunt prædita tertio à mediocritate recessu calfacere & exiccare. quod similiter confirmat, cũ deinceps inquit, porrò saporẽ eiusmodi terrenæ esse essentiæ à largo calore extenuatæ ostẽdimus. Quare nõ instrenuè excalfacit pariter & exiccat. Quòd si aliquis obijciat chicoriũ amarũ esse ac frigidum, similiter & rosa, aliaq; pleraq; inueniri, quæ cum amaritudine frigiditatem obtinẽt exuperantioré: dicendũ, amara ex se cuncta calida esse, quemadmodum & dulcia, & acria, verùm mista alijs saporibus refrigerantibus, sic vt ab illis vincãtur, & obũbrentur, actionẽ suã exerere nó posse; hoc manifestè voluit Gal. li. 4. de simp. medic. facul. c. 7. scribẽs in hunc modum, corpus omne adstringẽs ab alijs (quod sẽsu animaduerti posset) qualitatibus syncerũ perpetuò cõperi, experiẽdo frigidũ, quin etiã nõnulla ex ijs, quæ qualitatibus mista erãt, nẽpè quæ modicè dulcia aut amara, aut acria, a pertè quoq; refrigerantia reperi, scilicet cùm in eis adstringendi, refrigerandiq; facultas ita vincerent, vt alias obscurarent. Sed quod sapor amarus siccis temperie corporibus insit, ex eo idem probat Gal. q minimè omnium amara putrescant, minimèq; vermes, aliaq; nonnulla animalcula, qualia in radicibus, herbisque ac fru- *Lib. 4. Simpl. c. 20.*

Digitized by Google

ac fructibus putrescentibus prouenire solent, procreent; maximè namque videmus in humidis nasci corporibus vermes, ac putrilaginem. At quę exactè amara sunt (voco autem sic ea, quæ nulla sensu notabili alia participant qualitate) omnibus propè animantibus, nedum hominibus esui inepta sunt, quippe cùm animal omne plus minusque sit humidum: amara autē sicca haud aliter, quàm cinis & puluis, itaque nec cinerem, nec puluerem, nec fauillam, nec calcem animal vllum esitat, nec eorum, quæ planè amara sunt, quidquam. Quod deinceps lacus asphaltites seu bituminosi exemplo ostendit, in quo ob amaritudinis nimietatem nullum nec animal, nec planta inesse conspicitur; imò cùm duo in eum fluuij confluant longè maximi, pisciuḿque copia scatentes, præcipuè qui prope Gericōtem fluit, quē Iordanem nominant, nullus omnino piscium fluuiorum ostia excedit, ac si captos quis in lacum inijciat, celeriter mori conspiciet: talia Galenus. Et consequenter subdit, Adeò est omnibus tum hominibus, tum plantis inimicum, quod exactè amarum est, & quod squalidum pariter & siccum est, atq; natura velut fulliginem ab assatione referens. Vnde Auicenna. 2. canonis, tract. 1. cap. 3. amarum, ait, est grauis substantię siccæ: & propterea illud ipsius purum non recipit putrefactionē, ex qua animal generetur, nec purum ipsius nutrit animal. Cui sententiæ subscribit Auerroes lib. 5. collectaneorum. c. 27. dicens, in aqua maris, quæ est multum amara, non potest viuere aliquod

Digitized by Google

quod animal propterea, quia amaritudo est in extremo, nutrimento animalium aduersa,& est dulcedini cõtraria propter siccitatem solum, obidque interficit infantes, quando multũ ea vtuntur,eò quòd sunt in vltimo humiditatis; & vniuersaliter non ingreditur natura amaritudinis in re cibali,quia illa non est,nisi medicinalis, & dulcis ingreditur in cibos & medicinas. Auerroes hactenus. Sed cùm de amari saporis temperamento abundè egimus,superest,vt de eius ortu verba faciamus. Fit sapor amarus interim ex dulcibus, nonnunquàm verò ex salsis: ex dulcibus illum fieri perspicuum est; nam docente Galeno libro.4. de simplicium medicam.facult.cap.19. admodũ excalfactis dulcibus,siue ab igne,siue à calore ingenito,amarorum corporum constat generatio, quæ protinus consistentia quoque sicciora apparent; quoniam cùm absumatur semper ac defluat ab eis humor in vaporem à calore solutus,necesse est reliquũ terrestrius sicciusque effici; quippè cùm dulce,præter quàm quòd calidum sit,siue plus siue minus; necessariò sanè & humidum plus minusvè est; cùm illud corporis nostri naturæ maximè simile existat: ipsa verò sit temperatè tum calida,tum humida. Quare quod ex dulci superassato prouenit, perinde vt calx, ciniseque calidum siccumque necessario efficietur. Quibus verbis non solum ortum amari saporis ex dulcibus corporibus docet: verùm etiam cur ille calidus sit & siccus à priori demonstrat. & infrà in eodẽ libro.c.22.sic ait, Amari saporis genera-

Digitized by Google

tionem ex dulcibus à calore extenuatis prouenire iam clarè docuimus; apparuitque calidiora simul & tenuiora temperie esse amara, quàm dulcia: atque sic quidem vna amari saporis generatio est prodita. Generatur etiam & ex salso, vnde euenit, vt dicat Gale. propinquum esse saporem falsum amaro: nam vt idem scripsit lib. 4. de simplicium medicamentorum facult. cap. 20. quidquid salsum pluisculum excalfeceris, amarum tibi euadet, quod probat exemplo lacus asphaltites seu bituminosi, qui nimia solis excandescentia amarus redditur, proindèque æstate, quã hyeme, amarior est. Atque his quidem modis amarus sapor generatur, ac constat, cuius substantia auctore Auicenna crassa est, atque terrea, cui sententiæ suffragatur Galenus lib. 4. de simplicium medicam. facultat. cap. 19. dicens, Nec enim aërea est (de amaris loquitur) nec tenuis, nec aquea eorum substantia; sed, vt paulò antè dictum est, terrena exactè à calore elaborata, ac velut superassata ipsorum essentia. Quod etiam ratione probari non obscurè potest: nam cùm amarũ ex dulci, vel ex salso per vlteriorẽ fiat elaborationẽ, absumpta semper ac defluente ab eis parte humidiori in vaporẽ à calore soluta, necesse est reliquum crassius, terrenius, sicciusque remanere. Verũ hoc non simpliciter est intelligendum, sed vt interpretatur eodẽ cap. parum infra Gal. cùm inquit, Nunc autem tãtum nouisse sufficerit, quod qualitas omnis amara calidis simul siccisque substantijs accedit, & præter hæc tenuibus & terrenis: in-

audien

Lib. 4. simplic. c. 21.

Li. 2. trac. 2. c. 3.

4. sim. c. 19

Digitized by Google

audiendum est autẽ totum, quod dicitur, conjunctum, haud quaquàm vtrumq; separatim legendum: nã si pugnare cũ terreno videatur tenue, verùm nõ simpliciter tenue, sed vt in terrena consistentia tale esse amarũ assero, velut calx & cinis, & quidquid exactè præassatũ fuerit, ciniſq; redditũ: fortè autẽ verius assimiles suligini, ac ipsius flammæ fauillæ, quippè quæ gustantibus apparẽt amara. & lib. 5. de simp. medica. facul. c. 2. amarũ terrestre subtile appellabat. 4. item eiusdem operis. c. 19. præcitato, collatione quadam rem hanc exactius declarat dicẽs, In comparatione adstringentium non parum ijs tenuiora esse medicamẽta amara, vt acria verò crassiora. Quamobrẽ subdit, nec facile crassos viscosoſq; humores pertrãseunt, velut ea, quæ sunt tenuiori essentia, nec incidere perinde vt crassiora nequeũt: in medio aũt vtriusq; excessus sint oportet, quæ incisura sunt, nẽpè vt nec prõptè penetrẽt, perinde vt flamma, nec, dũ cunctantur, tardantq;, dissecare non possint; hæc Gal. Atq; hinc est, quod dicat Auicẽna, acre & amarũ esse linguam radentia: sed amarum non radere, nisi quod de lingua apparet: acuti autem absterſionem & separationem esse profundam; quoniã illud est subtilis substantiæ, quę profundiora perũadere magis potest. Porrò amari operationes, docẽte Auicenna, sunt exasperare & abstergere. Gal. 4. simp. c. 18. terminũ seu finẽ saporis amari abstergere esse dixit, acris verò vrere, ac dulcis nutrire. & paulò inferiꝰ subscribit, Porrò q̃ in vlceribus nacti sunt præstare amari sapores, idipsum

Lib. 2. tract. 1. c. 3.

idipsum in corpus assumpti efficere valent: abstergunt enim expurgantque, & quæ in venis est, crassitiem incidunt; quamobrem mẽses mouent, educen doque ex pectore pulmoneq; puri auxiliantur; & in summa, siue crassa in eis pituita, siue pus, siue aliud quippiam contineatur eiusmodi, expurgant, eaque ratione, & comitiali morbo competunt quicunque certè naturam non habẽt deletheriam ac venenosam, illi enim toto genere præter naturam sunt, sed & ijs, qui sanguinem spuunt, noxij sunt, quippè cùm isti adstringentia & viscosa, non incidentia diuidentiaque exposcant. hæc Galenus. Quæ sanè cuncta vsurpauit Serapio lib. de simp. temperamentis cap. præcitato scribens in hunc modũ, Res amaræ omnes habent naturam in se, faciendi in corpore, quando ingrediuntur, illud simile eius, quod ipsæ faciunt in vlceribus extrinsecis, videlicet, quod lauant, & abstergunt, & mundificant, & incidunt, quod est in venis ex humoribus crassis, & propter hoc prouocant menses, & conferunt excreationi saniei à pectore & ex pulmone, & generaliter si est phlegma crassum, induratum alicubi, aut sanies, aut aliud simile, mundificant, & ideò contingit ex eis, quod dictum est, nisi in natura sua mortiferum, vel occidens quippiam habuerint, conferunt epilepsiæ: sed interficientes ex eis egrediuntur naturam suæ speciei, & sicuti prædictæ conferunt epilepsiæ, ita sunt causæ nocendi hæmothoicis, quoniam sputum sanguinis eget rebus stypticis, & habentibus viscositatem, & non

Digitized by Google
rebus

rebus incidentibus viſcoſitatem, & diuidentibus eam. atque hactenus Serapio. Verùm quod ipſe pariter ac Galenus aiunt, ſanguinem reiectãtes viſcoſa & adſtringentia expoſcere, verum eſt ratione ad affectum habita, etiamſi ſitus occaſione, teſte Galeno, lib. 7. de compoſit. medicam. ſecundum locos. c. 4. prædictis ſtypticis & viſcoſis medicamentis congruenti menſura alia miſceantur tum calida, tum tenuium partium, gratia nimirum diſtributionis illorum in corpus. Etenim quod Galenus ait, adſtringentia tenacia & viſcoſa ſibi ipſis vias precludunt; quare opus habent facultate ipſis viam ſtruente & præparante. Verùm cùm circa ſtomachum vel inteſtina ſanguis effunditur, eiuſmodi pharmacorum miſtura opus non eſt, ſed hæc iam medendi attingũt methodum. Quare ad inſtitutum reuertamur, Galenus lib. 5. de ſimplicium medicamentorum facult. cap. 26. amarum meatus perpurgare, abſtergere, extenuare, incidere humorum craſsitiem abſque manifeſta calfactione, memoriæ prodidit. Sed quomodo hæc abſque manifeſta calfactione amara præſtare Galen. ait, ſi, vt dictum ſuprà eſt, illa tertio ordine calfaciunt? Nam quę gradu hoc id efficiunt, eodem atteſtante Galeno in fine libri quinti de ſimplic. medicam. facult. etſi non ſummè, vehementer tamen calfacere credũtur; & quæ vehementer quidem excalfaciunt, pluſquàm manifeſta calfactione alterant, cùm quæ tantùm ſecundo ordine conſtituuntur, manifeſtè alterare enuntientur; quę verò primi ſunt

Digitized by Google

ordinis calida, nos quidem excalfaciunt, non tamen euidenter, verùm vt opus sit insuper demonstratione rationali. Dicendum, illud Galenũ dixisse collatione ad acria facta, quæ adeò vehementer excalfacere possunt, vt scaram molliantur, & vrant, quorum comparatione amara absque manifesta calfactione humorum crassitiem incidere, & alia, quæ dicta sunt, opera exercere à Galeno dicuntur. Verùm ad institutum redeuntes, in vniuersum amara medicamẽta intro sumpra infarctus expediunt, crassa attenuant, lentaq; incidunt; exterius verò admota sordida vlcera expurgant, lichenas, impetigines, alphos, lentigines, & cætera, quæ cutem inficiunt, delent. Quin etiam amara quod superuacuos humores, aut absorbent, aut detergunt, & dulcedini, ex qua facilè putredo gignitur, aduersantur, & ratione optima putredinem arcent, corporaque diu integra tuentur, atque conseruant, inter quæ aloe primatum obtinet: viscеribus tamen nocent, infestaque sunt, vt Auicenna docuit lib. 2. tracta. 1. cap. 3. Quod si aliquis obijciat, absynthium in ventriculo roborando multam obtinere vim, plurimumque posse? Dicendum illud virtutẽ hanc non ob amaritudinem; sed propter adstrictionẽ posidere; quod ex eo constat, quia succus, à quo terreæ partes, in quibus adstrictoria vis sita est, separatæ sunt, hac facultate destituitur amaritudinem quasi solam obtinens ventriculo infestã. Porrò non aliam ob causam Galenus 11. metho. cap. 16. absynthium ponticum in iocinoris & vẽtriculi

6. simp. tit. de abroto.

Manardus lib. 19. epist. 2.

Digitized by Google

triculi phlegmonis magis quàm vulgaria laudat, niſi quia in pontico adſtringendi facultas nō parua eſt, in reliquis omnibus amara quidem qualitas eſt vehementiſsima: adſtrictio verò aut planè obſcura, aut prorſus nulla ſentitur, ergo non propter amaritudinem, ſed propter adſtrictionem abſynthium ventriculo, viſceribuſque gratum, beneuolumque exiſtit. Quare quod Meſues ait, amara ſtomachos firmare; non abſolutè verum cenſeri debet; ſed tunc ſolum, quando vnà cum amaritudine adſtringendi vim coniunctam habuerint: habet enim abſynthium amaritudinis occaſione, vt deterſorium ſit, non tamen tantam vim detergendi obtinet, vt pituitam ventriculo hærentem, vel etiam eidem innatātem abſque alterius rei adminiculo valeat expurgare: ſed contra potiùs ineptiorem reddit euacuationi; hinc eſt, quod dicat Galenus libro. 6. de ſanitate tuenda. cap. 10. abſynthij potionem illis eſſe aduerſiſſimam, quibus pituitoſus humor à capite in frigidum natura ventrem defluit, vt quæ ſuccum pituitoſum ipſorum ventri affigat; cùm, vt ipſe ait, detergendi vim non habeat, quod adeò ſit exiſtimanda: veruntamen ſi miſceatur melli aut vino abſynthium, aut vtrique, hoc eſt, mulſo, adepta detergendi vi pituitoſos quoque iuuare cenſet Manardus lib. 16. epiſtolarum epiſtola. 2.

In cauſis bus vniuerſalibus theorema. 2.

BIBLIOTECA

Digitized by Google

¶ *Sapores acres omnium esse calidissimos, ad modumque exurentes: plurimos tamē ex eis, qui vtique admistam amaritudinem non obtinent. Vberi interim pollere humiditate, ac cur acria ipsa cuti imposita, hanc exedant, ac exulcerent: intus vero assumpta id efficere non valeant.* Cap. VIII.

GAlenus lib. 3. de ratione victus in morbis acutis, comm. 2. dixerat, saporem acrem in vehementer calfacientibus reperiri, acrimoniāq; horum esse inseparabilem: quod latiùs scripserat lib. 4. simpl. cap. 18, probans Platonis, Aristotelis, & Theophrasti testimonijs, saporem hunc omnium esse calidissimum. Cui sententiæ nullus vnquàm aduersatur; quippè cùm excalfactio ex essentię eius sit ratione. Quò fit, vt si ex plebe quēpiam roges, quid vocet edulium acre, dixerit sanè, quod fortiter, dum gustatur, excalfacit, velut piper, piretrum, nasturtium, allium, cepa, & id genus omnia; videturque id solum saporum genus, cùm appellatione careat propria, communi per excellentiam vsum: nam cùm & sapor amarus & sapor acidus ambo etiam acres sint; in quocunq; tamen corpore vehementer comperimus acrimoniam, tametsi nec amarum sit, nec acidum, acre appellare consueuimus: atque hæc quidem à Galeno dicta sunt, subscribens sanè in hoc tum alijs, tum etiam Theophrasto lib. 6. de causis plantarū, cap. 1. dicenti, acria (supple dicuntur) quæ oris calore

Plato in Timæo. Theophras. li. 6. de causis plantarum. c. 1.

Digitized by Google

lore feruefacta, mutuò feruefaciunt, leuigataque, ſurſum leuitate ſua feruntur ad ſenſus capitis, atque incidere poſſunt. Auicenna ſimiliter libr. 2. tract. 1. capit. 3. acuti ſaporis ſubſtantiam tenuem eſſe & calidam, literis prodidit. ac paulò inferius ſubſcribit, Acutum autem eſt calidius, quoniã eſt fortius ad reſoluendum, & ad incidendum. Et Auerroes lib. 5. collectaneorum. c. 27. quod dominatur, inquit, ſupra acutum, eſt multus calor cum multa ſiccitate & ſubtilitate, & propterea ſubdit, calorem illius eſſe fortiorẽ omnibus alijs. Serapio itidem ſaporem acrem omnium calidiſſimum eſſe ſtatuit, lib. de temperamentis ſimpl. cap. 2. vbi in hunc ſcribit modum, Subſtãtia acuti eſt ignea, & modus acuti ſaporis eſt, quod quãdo guſtatur calfacit calore forti, & mordicat inter edendũ linguã, & quod inuenit ex carne, & virtus eius prima eſt virtus calidior omnibus alijs ſaporibus. hæc Serapio. Vnde verè ab Iſaac dictũ eſt libro dietarum vniuerſalium, cap. 11. ſaporem hunc calidum eſſe in quarto gradu, eò quòd ſua incenſio ignea eſt. Sed cur acria edulia, vt ſinapi, muria, allia, cepæ, foris impoſita cuti, hanc erodant, & exulcerent: intus verò ſumpta id efficere nequeant: cùm ratio contrarium potiùs ſuadere videatur; ſiquidem interiora viſcera omnia molliora, & teneriora ſunt, erodique promptiora, quàm exterior veſtiens cutis? Cauſam attulit Galenus li. 3. de temperam. cap. eodem, dicens id fieri propterea quòd illa mutantur alterantúrque, dum in ventre concoquuntur, & in venis in ſan-

Digitized by Google

guinem vertuntur; & propterea etiam quod vno loco non permanent, sed in multas partes diuisa quôquo versum feruntur. Addit, & quod non solum multis succis miscentur, sed etiam cibis cum quibus sumuntur: ad hæc, quod celeriter eorum & concoctio & partium separatio perficitur ita, vt quod conueniens in eis est, assimiletur, quod superuacaneum & acre, per aluũ vrinas & sudorẽ excernatur. Atq; huiusmodi causæ sunt omnes, propter quas, quod foris impositũ exulcerat, id comestũ nõ exulcerat. Hoc tamẽ animaduertendum reor, quod etsi acres sapores vniuersi calidi valde sint, non tamẽ calor eorũ semper correspõdere siccitatẽ: siquidẽ docẽte Galeno, Quicunq; vtique ex eis amari non sunt, vberem interim humiditatem admistam habent: proindeque corporum eiusmodi non pauca à nobis esitantur; vt porra, allia, cepæ. In quam sententiam deuenit Serapio dicens, Quando componuntur sapor acutus & amarus in aliqua medicina, erit illa medicina sicca penitus sine dubio: sed res acutissimæ pungentes, quæ non sunt amaræ, inueniuntur multoties multæ humiditatis: quare veniunt ad vsum cibi, & comeduntur, & ideò deuenimus ad comedendum multas ex eis, sicut illas, quibus admiscetur sapor dulcis ex cibis, & vtimur eis in modum specierum condientium solum, vice verò cibi non vtimur vna solum ex eis propter fortitudinem suæ virtutis. talia Serapio. Ex quibus liquet, Auerroem minus benè saporem acrem simpliciter calidum & siccum

4. simp. 19.

Li. 5. c. 27.

Digitized by Google

& ſiccum pronuntiaſſe: cùm tamen multa excipere deberet, quæ vtique à ſiccitate longè aliena ſunt. Sed quòd humida ſint acrium corporum pleraque, in primis nos docet experientia: ſed & præter experientiam ratio ipſa manifeſtat: nam talia admodum putreſcere ſolent, vt allia, & cepæ, quod indicat, ea adeò ſuperfluam obtinere humiditatem, vt à proprio calore contineri & gubernari non poſsit: atque hinc eſt, vt antea quàm reponantur, nonnulli illa ſoli exponant: alij ignis camino ſuſpendant, donec abſumpta ſuperflua humiditate minus putredini reddantur obnoxia. Idem etiam piperi longo, zinziberi, & alijs innumeris accidit: nam niſi ſtatim ab initio probè ſiccentur, & recrementitiam humiditatem amittant, facilè perforantur, & carie corripiuntur; quod nulli eorum, quæ aut planè ſicca ſunt, aut humida quidem, ſed elaboratam, ac familiarem continent humiditatem, vſu euenire videmus: verùm illa temporis tractu, vt ſicciora, ita & tepentiora redduntur, eò quòd vnà cum excrementitia humiditate acrimoniam quoque deperdunt.

Porrò ex his acribus corporibus alia, vt dictum eſt, edi poſſunt, alia eſui ſunt inepta. Quæ idonea ſunt eſui, docente Galeno, dulcé quandam (ſaltem obſcuram) admiſtam habeant qualitatem, neceſſe eſt: proinde plurimis illorum pro obſonio vtimur: multis verò vt condimentis tãtum; at vt cibo ipſorum omnino nullo, idque

Lib. 4. ſim. cap. 18.

Digitized by Google

idque ob virium vehementiam. Rursus eorum, quæ non eduntur, alia mortifera sunt, alia simpliciter medicamenta: omnia saltem cuti nostræ imposita vlcus celeriter molliuntur. Est & acribus aliud nocumẽtum sanè non exiguum, quòd capiti cuncta infesta sunt, eidemque negotium facessunt: ratio est, quia calor ascendens sursum, vnà humorem defert. Quod Theophrastus significauit lib. 6. de causis plantarum. c. 1, dum ait, acrem saporem esse, qui deliquandi aut mordendi vim habet, aut qui calorem humoris conserti loco superno excernit. Vnde Zoar lib. 1. Theisir. tract. 8. cap. 22. omnibus acutis, sicut cepis, & allijs, peculiare esse, dicebat, caput fumis vaporibusque replere. Quare, subdit, visui ipsa potissimum nocere, & materiam existere cæcitatis. & deinceps in eodem libro, tract. 9. ca. 8. sic inquit, Necesse omnino est, vt prohibeas in omni specie epylepsiæ, & in omni accidente malo cerebro su perueniente allium & cepam, & his similia: quoniam proprietatem habent magnam cerebrum perturbandi, & abstineant à fabis; quoniã & ipsæ proprietatem habent in perturbando & destruẽdo cogitatiuam. Auicenna itidem tertia tertij tra ctatu. 1. cap. 1. acuta sicut porrum oculis nocere scripsit. Nocent etiam & visceribus eiusdem Auicennæ sententia lib. 2 tract. 1. cap. 4. vt hinc videant quàm malè sibi consulant, quicunque rebus aromaticis, pipere nimirum, gariophylis, zinzibere, cinamomo, & item oleribus acribus, vt allijs, cepis, & similibus assiduè in alimẽtis vtuntur. Quos puto

Digitized by Google

puto non facturos, si Galenum legissent, lib. 2. de facult. alimentorum, cap. vltimo, dicente, Abstinendum ab assiduo vsu omnium acrium, & potissimum cùm is, qui ipsis vescitur, natura fuerit biliosus: solis enim, qui vel succum pituitosum, vel crudum & crassum, ac lentum acerua uerint, cibi eiusmodi sunt accõmodati. Sapor acris testimonio Galeni lib. 5. de simplicium medica. facult. cap. 27. extenuat, perpurgat, digerit, perrumpit, attrahit, & scaram siue crustram efficit. & paulò superiùs dixerat, acre similiter vt acidum agere, quod ad extenuationem perpurgationẽq; attinet: cæterùm in hoc differre, quòd acidũ refrigeret, acre verò excalfaciat: ad hæc quod illud repercutiat, hoc attrahat & digerat. Auicẽna operationes acuitatis esse ait resolutionem, incisionem, putrefactionem, & apertionem. subditque acutum & acidum in hoc conuenire, quòd ambo linguam mordicent, in eo verò differre, quòd acutum mordicet eam vehementer cum calfactione: acidum verò mediocriter & absque calfactione. Quæ sanè ex Galeno desumpsit lib. 1. de simplicium medicamen. facul. cap. 39. Mesues de sapore acri hæc nobis scripta reliquit, Acre medicamentum, inquit, facilè inflammatur, mordet, penetrat, aperit, vrit, vlcerat, flatus dissipat, tenuat, incidit, separat, resoluit, è longinquo attrahit, siccat, emaciat, sitim facit. Ob hæc omnia citò & valenter agit, & sua tenui essentia amarum medicamentum, & cætera imbecilliter aut tarde purgantia accelerat, & purgantiora reddit, & hac

Lib. 2 tra. 1. c. 3. & 4

In cataplasmatibus vniuersalibus thesaurus remate, 1. & 2.

in

Digitized by Google

in re vsum præstat. & ad hæc quod res acres, vt aromata, flatus à medicamento excitatos tenuant, & dissipant, ob id ipsis hæc miscentur, vt daucus, feniculum, piper longum. hæc Mesues. Cæterùm quod ait, saporem hunc omnia citò & valenter agere ex natura caloris excellentis, qui in essentia sua actuosus maximè existit, id posidet. Porrò actuosus maximè habetur calor, quòd celeriter, in quæ agit, permeet, quod vim & impetum sua acrimonia faciat: quod naturam suam his, in quæ operatur, breuiter impertiat, quòd deducat, fundat, attenuet, quæ nulli qualitatum alteri sunt à natura tributa; ac proinde nihil magis res vicinas alterare, ac immutare, quàm ipsa caliditas potest. Sed dicet aliquis, si calori tanta est agendi facultas, cur calfaciendi ac refrigerandi par quodammodo tempus habetur? vt à Galeno proditum est .7. metho. cap. 5. cui Auicenna consentit .4. 1. cap. 2. & .13. tertij tract. 1. cap. 4. Cui dicendum, quod etsi eiusdem Galeni testimonio caloris, quàm frigoris maior sit efficacia, calori tamen agenti patientis frigoris repugnantia, hoc est, occlusio & densitas meatuum magis obsistit: verùm agenti frigori, etsi minus efficaci, repugnantia tamen minor occurrit; quia cum morbo calido adest raritas & reseratio viarum, vnde nascitur passuri corporis aptior dispositio; quò fit vt pari illa tempore suos effectus compleant, efficientiasque exerceant. Verùm hæc à præsenti tractatione aliena videntur: quare ad pensum redeamus;

Lib. de cõsti. art. medi. c. 9. & 3. de causis sympt. c. 3.

Digitized by Google

mus: fecit enim prædictus Mesues locus, vt in ista descenderem, ac vt illum totum ad Aristophanis lucernam, quemadmodum dici solet, enuclearem.

¶ *Saporem insipidum aquosum esse & subfrigidum: ac quare gustus organum insipidum esse oporteat? curq; nobis aliqua insipida & nonnulla amara alijs animalibus sapida & suauia appareant?* Cap. IX.

DIctum quidem suprà est, insipidum inter sapores recenseri debere, eò quòd à nullo alio sensu præter quàm à gustu percipi illud potest. Quare quisquis protulit eorum insipida esse verba, qui insipidum, saporem esse tenent, non rectè censuit. Dicitur autem insipidum, quemadmodum Galeno visum est, ex eo quod ad linguam veniens nihil in ea facit: aut ob id, quod nulla insigni gustabili qualitate gustum afficit, nec dulcedine, nec amaritudine, nec aciditate, nec aliqua alia ex eis quæ dictæ sunt; quod euenit propter maximam similitudinem, quam obtinet cum organo gustus; nam vt Auerroes ait, Omne recipiens debet esse denudatum à natura recepti. Atque hæc causa est, cur gustus natura aquea, synceraque habeatur, & nec dulcedinis, nec acrimoniæ, nec acerbitatis, nec alterius saporis particeps, sed quemadmodum aqua optima omnis qualitatis, quę ad gustũ attinet, expers esse censetur. Quia si sapor ali-

Lib. de oculi. part. 5. cap. 1.

Lib. 3. de anima. cõmen. 4.

quis

Digitized by Google

quis gustui innatus esset, alium ipse extrinsecus aduenientem percipere non valeret: quia teste Aristotele lib. 3. de anima, cap. 4. quod intus est prohibet alienum. Fortè quæ nobis insipida videntur, alijs animalibus sapida appareant, vt palleæ equis: sic stercore humano canes suauissimè vescuntur, nobis prorsus olfactu, & gustu abominabili, & cucumeres sylvestres asini auidissimè edunt, quos gustus noster magnopere renuit, & aduersatur: ratio est, quia quemadmodum Galenus docet lib. 8. de composit. medicam. per locos cap. 7. alimenta secundum suam totam substantiam, proprietatem, ac familiaritatem habent ad ea, quæ aluntur. & lib. 4. de simpl. medicament. facult. cap. 10. dicebat, Nec eduliorum nec medicamentorum vnam esse animantibus omnibus speciem; sed pro sua vnamquamque familiari substantia simul & affectione, tum delectari, tum iuuari ab vtrisque: atque ob id alia alijs apparere iucundiora. Quapropter, vt inquit Theophrastus, non solùm quod agit, verùm etiam quod afficitur nosse oportet: præsertim cùm non idem sapor percipiatur ab omnibus; quippè nihil prohibet: quemadmodum idem censet Theophrastus, vt quod homini dulce est, id amarum aliqua ex cæteris animalibus sentiant, & è conuerso. Plinius itidem lib. 11. cap. 71. ex eduliorum multiplicitate, qua animalia vniuersa afficiuntur, coniectatur, non tactum solum, sed etiam gustum cunctis inesse: nam cur alios alia sapores appetunt, si gustus expertia sunt? & quemadmodum in saporibus,

Lib. 6. de causis plant. cap. 2.

Digitized by Google

ribus, quibus illa delectari solent, diuersitas est, sic & in gustandi, edendique modo discrimẽ reperitur: alia enim fugunt, alia lambunt, sorbent alia, mandunt, vorant. sed de his satis. Quare ad pẽsum reuertamur. Insipida ad gustũ nostrũ (nã de hoc in præsentia nobis sermo est qui a hunc sõlũ medicus considerat) aquosa sunt, & qualitatis, quæ verbis explicari queat, expertia: quapropter ἄποια, hoc est, sine qualitate ad gustum attinente fuere appellata; quibus omnibus (si Galeno creditur) commune est, vt alimentum, quod ab ipsis in corpus distribuitur, nullam insignem habeat facultatem: sed sub frigidum quidem sit: crassitie verò, quale idipsum est, quod sumptum fuerit. Rursus insipida, auctore eodem Galeno, in duplici sunt differentia: nam quædam simplicia existunt: alia composita habentur; simplicia velut aqua & terra; sunt enim ambo gustui insipida; quemadmodum Galenus testatur, & gustus ipse manifestat: composita quidem vt cucumis, & cucurbita, aliaque pleraque, in quibus nulla insignis prævalet qualitas; quod si aliqua prævalùerit, testimonio Galeni hæc erit aliquantulum frigiditati attinens. Cui sententiæ Auicenna subscribit prima parte canticorum tex. 31. purè insipidũ, frigidum, & humidum esse inquiens. Auerroes itidem saporem insipidum aquosum & frigidum esse memoriæ mandauit. Vnde Serapio, insipidi substantiam aquosam, & de genere dulcis esse pronuntiauit: nam dulce ob multam aquosam humiditatem dulcedinem amittit, & insipidum

Lib. 2. de alimen. facul. c. 68. quod de tuberibus inscribitur.

Lib. de oculis particula. 5. c. 1.

4. simp. ca. 15 iuxta finem.

Digitized by Google

redditur. Rursus insipidum aquosa humiditate deposita dulce euadit, quod exemplo arborum fructuum probat Serapio: nam in summitatibus ramorum existentes, dulces; qui verò propè terram sunt, ob humiditatis vbertatem insipidiores sentiuntur. Frumentum item, hordeum, fabę, cicera, aliaque pleraq; (quod etiam notauit Theophrastus) initio sui ortus velut insipida, dilutaq; apparent, donec temporis tractu siccescentia, & maturitatem adepta dulciora efficiantur. Cæterùm Rhaze non vnam insipidis omnibus temperiem constituit. Nam insipidorum, ait, vnum esse, quod magis nutrit, quodque æqualitati vicinum est: aliud verò, quod temperatè calfacit, & aliud, quod temperatè infrigidat. Et subdit, cum quolibet istorum posse humiditatem miscerì & siccitatem: quæ inquam in insipidis, in ciborum vsum haud quaquam venientibus, locũ obtinent: non tamen in illis, quæ præparata atq; condita esui apta efficiuntur, vt tubera, cucurbita, fungi, aliaque huiusmodi: nam hæc omnia talem habent temperiem, qualem insipidis omnibus adscripsit Gale. subfrigidam nempe & humidã. quapropter ob aqueam qualitatem sibi innatam meritò gaudent origano; omniaque huiusmodi succis acribus, vel acidis, vel austeris, vel salsis admisceri postulant; si modo in cibo suauia futura sunt; ac ijs, qui vsi illis fuerint, nauseam non sunt paritura, & quia qualitatis ad gustum attinentis expertia existunt, non immerito multos parandi modos admittunt, vt quæ in medio

Lib. 6. de causis plantarũ. c. 8.

Lib. 3. ad Almansor. cap. 1.

Gale. lib. 2. de alimẽt. facul. c. 3. de cucurbita.

Digitized by Google

medio sint omnis excessus; ob idque ad quemuis illorum ex æquo ducuntur, promptèque ei assimilantur, & sine multo negotio illius induũt naturam: quandoquidem docente Galeno, nihil eorum, quæ congenitum quempiam habent excessum, in contrariam excessui parandi rationem facilè ducitur. Inueniuntur præterea multa amaritudinem non exiguam præ se ferentia, vt virides nuces, quæ per assiduam macerationẽ, aqua ipsa singulis permutata diebus, omnem amaritudinem exuunt, & insipida fiunt: atque ob id aliarum rerum mistura facile suscipere, & probè condiri queunt. Porrò insipidis omnibus commune est, vt condita atque præparata edi postulent: cruda namque insuauia sunt, stomachumque lædunt, & concoctu sunt difficilia adeò, vt si qui alterius cibi inopia illa mandere coacti fuerint, pondus frigidum ventriculo incumbere sentiant, stomachumque habeant euersum, ac vomituriant: quo solo vomitu à prementibus symptomatibus poterunt vindicari. Sunt itaque insipida concoctu difficilia, prauique succi: nec tamen si aliquando facilè concoqui videantur, ob id vitiosa esse desinunt: euenit enim interdum, vt vna vel altera vice ingesta probè alterẽtur; deinceps verò inuicta & inalterata permaneant: quò fit, vt postmodũ non leuiter egrotandi præbeant occasionem. & licet initio lenta progrediantur actione, postea verò alterationis tarditatem noxæ grauitate compensant. Hoc Galenus nos docet lib. 2. de alimentorum facult. *Vbi suprà.*

Digitized by Google

cap.6. Vbi de cucumeribus verba faciens in eum scribit modum, Ergo qui cucumeres belle concoquunt, quum eo ipso fisi affatim ijs se impleuerint, ijs tandem longo temporis tractu accidit, vt succus frigidus, ac mediocriter crassus in venis coaceruetur, qui in ea coctione, quæ fit in venis, haud facilè mutationem in probum sanguinem recipiat. Ob eam igitur causam omnibus praui succi edulijs censeo abstinendum, etiamsi ea quibusdam concoctu sint facilia: nobis enim nó aduertentibus prauus succus ex ipsis post longum tempus in venis colligitur; qui postea exiguã ad putrendum occasionem nactus febres malignas accendit. hæc Galenus. Rursus insipida Mesues testimonio lubricant, flatulenta sunt, obstruunt, densant, congelant, calorem extinguunt, & hæc omnia tardè & debiliter operantur: sua tamen substantia mediocri acre, amarum, salsum, aridũ reprimunt. Aliud insipidi genus descripsit Auicenna lib.2.tract.1.cap. 3. quod ipse apud sensum insipidum vocat; illud autem esse ait, quod in se ipso saporem quidem habet: cæterùm propter vehementiam suæ crasitudinis non dissoluitur ex eo quidpiam, quod linguæ admisceri, ab eademque comprehendi possit. Quod si machinemur, inquit, vt eius partes dissoluãtur, & attenuẽtur, sentiet saporem ipsius, è quorum numero esse dicit æs vstum & ferrum: lingua namque ante vstionem ex his non consequitur saporem: quoniam non dissoluitur ex substantia eorum quidpiam perueniens ad humiditatem existentem in

lingua

Digitized by Google

lingua, quæ extrinsecum medium est in sensu gustus: cùm verò conamur, vt in partes minimas secentur: apparebit sapor quidam vehemens. Verùm (iudicio meo) hæc Auicennæ ratio inualida est: nam si es non vstum in scobem, id est, tenuissimum puluerem redigatur, attenuabitur, & partes disgregabuntur: lingua tamen nullum in eis saporem percipiet; etiamsi illæ eius humiditatem pertingant, ac ipsius subintrent meatus; ergo non ob denstitudinem, vt Auicenna dixit, compactionem vè æs non vstus insipidus est: sed quia in illo sapor quidam tacitus inest, qui vstione in actũ redigitur, & energia fit, qui antea in potẽtia erat; facit enim ignis in ære atque ferro id, quod in medicamẽtis purgantibus calor noster molitur: quemadmodum enim dum natiuus calor medicamentum terit, calfacit, omnique ratione exagitat, tacita eius facultas quasi solutis vinculis exurgens se promit, profertque vires nouas: sic ignis calor æris & ferri saporem, qui antea insipidus erat, excitat, & in actum deducit. Sed de istis insipidis, quę in alimentum non cędunt membrorũ, in præsentia nobis sermo non est, sed de illis tantum quæ alterata, atque condita corpus nutrire valent.

Auicennæ ratio improbatur.

¶ *Quæ sit saporũ mistorum consideratio, ac quomodo id, quod per se agit, ab eo, quod ex accidenti operatur, discerni ac seiungi debeat? Cap. X.*

Digitized by Google

QVI compositos atque commistos sapores discernere studét, necesse illis est, vt prius simplices omnes ad vnguem cognitos atq; perspectos habeant: siquidē initium, fons, & elementum mistorū cognoscendorum est diligenter internoscere simplicium cuiusque saporum speciē, gustum in singulis sæpè exercendo, & affectionem, quam quisque per se in lingua imprimit, diligenter memoriæ mandando. Exploratur autem vniuscuiusque eorum natura in hunc modum, acerbus in mespilis, acatia, fructu arbuti, ilicis, fagi, & in pyris sylvestribus immaturis, ac in cornis. Austerus in cotoneis malis, in sorbis & oliuis: nā in mali punici granis austerus solus nō reperitur; sed acido vel dulci commiscetur: acidus præsertim percipitur in oxylapatho, & oxalide, quam etiam oxida nuncupant: est autem hæc olus sylnestre; in istis enim, maximè Galeno, syncerus visus est ac simplex acidus sapor, nullius particeps acerbitatis, vt solent arborum fructus: perspicuò enim hi cum acerbitate quadam admistā habent aciditatem: sicut cum acrimonia acetum. Sapor dulcis deprehēditur in musto ex dulcibus vuis expresso, atque ad dimidias, tertiasvè excocto, quod teste Galeno dulcedine melli non cedit, vt mel tamen acre non est, & in his ipsis vuis saccharo calamis viridibus graminis, ἄγρωστις, Græci vocant; adhæc tritici, hordei, aliorumque multorum: nam in melle syncerus dulcis sapor non est; sed acrimoniæ permistus, vt docet Galenus. 1. de antidotis, capit. 2. & glizirhizæ radix eodem

Lib. 4. de simp med. facul. c. 15

Lib. 1. de antidotis, cap. 2.

Digitized by Google

eodem teſtante Galeno, ſimul cum dulcedine le uem quandam obtinet adſtrictionem: ad eundē modum vbi vaſe quopiam aut rupto, aut aperto, affatim calidus ſanguis in linguam effunditur, dulciſsimus apparet: vtique ſi ſecundum naturā ſe habuerit: nam morbidus amarus aut ſalſus eſt, aliamvè eius generis qualitatem præ ſe fert. Pinguis exactè eſt, tum fructus, tum ſuccus oleæ caducæ, & alij omnes, ex quibus oleum conficitur, ſicut feſama, nuceſque, & amigdala: nam id genus omnia vetuſtate prorſus efficiuntur pinguia; quippe in quibus aquea quidem excrementitiaque humiditas digeritur: propria verò à calore natiuo elaboratur, atque exactè concoquitur. Amarus ſapor exploratur in cucumeris aſinini felliſq; guſtu. Salſus in ſale: acris in allijs, cepis, ſinapi, & in alijs, quæ his ſimilia ſunt: insipidus in cucurbita, & aqua pura ac omnis experte qualitatis. Atque hi ſunt ſimplices, ſynceriq; ſapores omnes, quos ſanè, qui ſeorſim exactè cognoſcit, cùm permiſcentur, ac inuicem cōponuntur, nō multo negotio cognoſcet; quo circa percipiet in ſucco vuæ immaturæ acerbitatē & aciditatem ſimul ineſſe: in aloe adſtrictionem & amaritudinem: in aceto acrimoniam & aciditatē; in abſynthio amarorem, adſtrictionem, acrimoniamq;. Ad eundem prorſus modū cognoſcet in capparis radicis cortice triplicē ſaporē vnà coire amarū, acrē, & acerbū. Cōſiderandum rurſus eſt, quod cùm ex pluribus ſaporibus miſtio exiſtit, ex omnibus miſtam actionē medicamentū edet:

Lib. 6. de ſimp. med. facul. tit. de dulci ra dice.

Gal. lib. 4. ſimp. c. 16.

Gal. lib. 4. de ſimpl. med. facul. cap. 8.

Digitized by Google

nam aloe aluum deijcit causa amaritudinis: sed ventrem cohibet atque roborat adstrictionis occasione. Atque hinc est, quod dicat Galenus illam non elotam valentius vacuare, elotam purgare quidem minus, sed roborare ventriculum magis. Sic capparis radicis cortex, eodem docéte Galeno, vincentem habet qualitatem amarā proximam acrem, deinde acerbam. Ex quo liquet, quod diuersis pugnantibusque constet facultatibus, quippe abstergere, purgare, incidere potest amaritudine; excalfacere, incidere, digerere acrimonia; contrahere verò, densare, constringere acerbitate. Hoc in mille alijs videre licet, quæ in præsentia silentio prætermitto, ne in re perspicua exemplis vtar parum necessarijs. Veruntamē etsi ex omnibus mista edatur actio, illa tamen valentiori præcipuè referenda est; sic acetum magis infrigidat, quàm calfacit, effectusque aciditatis plus elucent, conspicuiq; magis sunt, quàm acrimoniæ: ad eundem modū denominatio ab exuperantiori ac vigentiori sumenda semper est, vt ex Galeno fit manifestum, lib. 4. de simplicium medicamentorum facultat. cap. 18. dicente, quędam acria permistam habere amaritudinem; non tamen nuncupari amara, quandoquidem hæc in eis leuis est & infirma, valida autem vis acrimoniæ; sic mel dulce tantum vocare solemus, etiāsi dulcedini immistam acrimoniam habeat. Ad eundem etiam modum aloem amaram dicimus, nulla adstrictionis mentione facta. Atque ita quidē de medicamentorum, eduliorumque viribus ex

Lib. 7. metho. c. 11.

Lib. 7. de simp. med. facul. titulo de cappa ri.

sapo-

Digitized by Google

saporibus conijcere datur: in quibus verò sapor nequit medicamenti vim atque facultatem ostendere, experientia succurrit; nec enim in omnibus certa est saporis significatio: nam sic opium amarissimum, iudicaremus calidum, pariter & cicutã; cùm tamen duo hæc venena sint frigiditate internecantia. Quapropter non temerè à Galeno dictum est initio librorum de alimentorum facultatibus, haud rectè opinari eos, qui omnia sapore eodem, odore, colore, aut alio id genus prædita vires easdem obtinere, existimant. Ne verò nos experientia fallax decipiat, etiam atque etiam cauendum, ne affectum, qui per accidens à medicamento processit, primum & per se editum esse putemus: discernemus autem id, quod ex accidẽti quid facit, ab eo, quod propria facultate operatur, si ijs, quæ tertio de temperamentis, & 1. de simplicium medicamen. facult. scripsit Galenus, mentem adhibuerimus; vbi discemus actiones, quæ ex accidenti procedunt, non tribuere medicamentis appellationes, sed quæ per se & primo ac nullo interueniente medio à medicamentis ipsis emanant: alioquin aquam frigidam calidam esse dicemus, vbi videlicet in iuuene benè carnoso, ac æstate media caloris molitur reuocationẽ: & calidam frigidam, cùm in phlegmone (est enim ea affectio calidæ copiosæque fluxionis soboles) modico suo calore superfluitatem euacuans, quod reliquum est, frigidum reddit. Pari modo medicamenta calida cholagoga iudicabimus frigida, dum attractis ab eis calidis ac biliosis

3. de temperam. c. 5.
1. de simpl. medic. facult. cap. 4.

Digitized by Google

humoribus corpus frigidius, quàm ante remanet, prout enim corpus affectum est, ita & id, quod in corpus assumitur, nunc suam, nunc alienam qualitatem ostendere videtur: atque hæc præcipua causa est, cur idem medicamẽtum modò per se operetur, quandoque verò ex accidenti: vinum alios tardos, alios superbos reddit, atq; insanibundos, contrario etenim affectu id agitur; quãdoquidem alteri magis, alteri minus moueãtur; quoniam, vt ex Heremoni sententia scribit Aristoteles, vinum sese pro moribus vtentium applicat; contraria igitur reddit, non quæ eadem, sed quæ sunt similia; vt ignis alia exiccat; alia humefacit; sed non eadem: & quidem glaciem liquefacit, salem indurat: nam & vinũ, vt quod suaptè natura calidum sit, homines tardiores incendit, redditq; mobiliores: contra mobiliores dissoluit, atq; retardat. Vt enim balneũ corpora perstricta duraq; relaxat, agilioraq; facit: humida verò & mobilia dissoluit, atq; infirmat; sic vinum quasi interna hominis diluens ita afficere potest. Brasica rursus ante vini potionẽ ingesta ebrietatem inducere perhibetur: post verò sumpta temulentiam soluit, vt ab Aristotele proditum est. Mel febrientibus amarum videtur, similiter & vinum: sanis verò corporibus ambo dulcedinem & suauitatem ostendunt. Si quis enim dulcibus edulijs gustum afficiat, quod statim superbibatur vinum, amarum esse percipietur. Coagulũ omne, vt Dioscorides tradidit, dissipata cogit, & coacta dissoluit. Cedria viuentia corpora

Lib. 3. proble. 16.

3. problem. probl. 17.

Lib. 2. ca. 67. in fine.

corrum-

Digitized by Google

corrumpit,& defuncta conſeruat, qua ex cauſa mortuorum vitam aliqui eam appellauere,ita eodem ſcribente Dioſcoride lib.1. capit. 89. Acida præterea vt ſupra cap. 3. viſum eſt, cum ſuccum craſſum in ventre inuenerint,alui deiectiones humectant,facilioreſq; reddunt:ſi verò ventrē purum inuenerint,illū magis ſiſtūt. Nuces,vt Simō Sethi memoriæ mandauit, in ventriculis frigidis facilè coquuntur:in calidis verò in bilioſum humorē vertuntur. Trāſportatio,& motus velut vē tilans,ſol excalfaciens,flammæq; iuxta ardentes, vt Galenus ait,vina optima,& natura calida,meliora & præſtātiora efficiūt;languida verò corrūpūt,& acida reddunt,&eorū arguunt imbecillitatem,ac celeriter perpeti cogūt, quæ alioqui pòſt paſſura eſſent.Sunt & multa alia,quæ pro corporis varia diſpoſitione oppugnantes contrariaſq; facultates exercent; atque ob id ambiguos reddunt ſimplicium veſtigatores neſciētes quid per ſe,ac quid ex accidenti illa moliantur.

Bartholo. Marātha li.3.meth. cognoſcendorum ſimplic. c.14.

4.ſimp.cā. 14.

¶ *Quid odor ſecundum Ariſtotelē & Theophraſtum: illumq; per aērē & aquā diffundi: ac piſces odorare non aēris,ſed aquæ interuentu? Capit. XI.*

OPportunum videtur nunc de odoribus diſſerere,eò quod teſte Ariſtot.lib.de ſenſu & ijs, quæ ſentiuntur. c.5. cum ſaporibus proportione quadam conueniant, eademque fermè ſit vtriſque affectio, vt dixit Theophraſtus lib. 6. de cauſis plantarum, capite. 1. Et vt à definitione

Digitized by Google

tione exordiamur, odor, quemadmodum idem docuit Theophraſtus, partis eſt ſiccæ ſapidæ in diaphano, hoc eſt, trãſlucido corpore demiſtio: id enim aëris & aquæ commune eſſe inquit; ſiccę dixit, quia odor in ſicco fundatur, eidemque innititur: atque hinc euenit, quemadmodum libr. 6. de cauſis plantarum, cap. 24. ipſemet Theophraſtus annotauit, vt fructus agreſtes odoratiores vrbanis ſui generis habeantur: ſunt enim agreſtes vrbanis ſicciores. Hæc quoque cauſa eſt, cur in Ægypto minimè odorati flores naſcantur; quia vt Plinius lib. 21. cap. 7. ſcriptum reliquit, ibi nebuloſus, ac roſcidus aër à Nilo flumine exiſtit. Ariſtoteles præterea lib. 2. de anima. c. 9. in fine, odorem ſicci eſſe, ſicuti ſaporé humidi, ingenuè profeſſus eſt. Eſt etiam odor partis ſapidę; quia odor tantũmodo, vbi ſapore eſt, reperitur, dicẽte Alexandro, odorem habentia habere etiam & ſaporem; & inſipida odore carere. Cui Auerroes ſubſcribit lib. de ſenſu & ſenſilibus, c. 5. ambo ab Ariſtot. docti eodẽ in loco, vbi Ariſt. ſic ait, lapis inodorabilis, inſipidus enim: ligna autẽ odorabilia, ſapida enim, & horum aquoſa minus; amplius eorum, quæ metalla ſunt, aurum inodorabile, inſipidum enim. Quibus verbis liquido oſtendit, odorem partis ſapidæ expertem non eſſe; ſineq; ſapore odorem non reperiri. Cui tamen ſapori odor præcipuè inſit, dubium eſt: nam Theophraſtus lib. 6. de cauſis plantarum. c. 13. dicit, initium boni odoris amarum exiſtere; odoratumq;, quin amarum ſit, comperiri eſſe difficile. Cui Plinius conſen-

Lib. 2. de anima, ca. de olfactu.

Cui ſapori odor præſertim in-

Digitized by Google

consentit lib.21.cap. 7.inquiens, Odorato sapor rarò vlli non amarus,è contrario dulcia rarò odorata. Quod & experientia ipsa manifestat; nam rosa, agolochum, moschus, ambarum,cybetú, & alia huiusmodi,quæ odoratissima sunt,amaritudinem non exiguam præ se ferunt. Cæterùm Galenus lib.4. de simplicium medicamentorum facultatibus.c.22. manifestè contrarium asserere apparet,dum ait, amarum nunquam odoratum esse,nec vt medicamentum nobis suaue,nec vt cibus. Alphonsus Lùpeius iure putat textum hunc esse depraùatum,emendandumque fore per antiquissimum codicem manu scriptum,aut per veterem translationem, quæ hunc in modum habet, veruntamen res amari saporis non cadit ex casu delectabili in aliqua hora,nec secundú viam medicinæ,nec secundum viam cibi. Potest etiam per Græcú exemplar emendari, quod sic habet, καὶ τοι τοῦτο πικρὸν οὐδέποτ' ἂν οὐδ' ὡς φάρμακον ἡμῖν ἡδύ, hoc est, tametsi amarum nunquàm sanè nec vt medicamentum est nobis suaue. Quare vtcunq; sit, Lupeius reprehensionẽ valeriolæ hac in parte meritò inanem esse cẽset. Subdit deinceps Theophrastus in diaphano, hoc est, translucido corpore demistio; quia pars hæc sicca,sapidaque, quam odorem appellamus,à re ipsa per diaphanum, translucidumvè corpus communicatur. Declaratque postmodum qualia sint huiusmodi corpora diaphana odorem deferentia dicens, Huiusmodi aërem esse & aquam. Quæ sanè ab Aristotele desumpsit lib.de sensu & ijs,quæ sentiuntur

Galeni textus depraùatus emendatur.

Quæ sint diaphana corpora odorem deferentia.

Digitized by Google

tur, cap. 5. dicente, in aqua saporem inesse pariter & odorem. & lib. 2. de anima textu. 97. inquit, est autem olfactus per medium, vt aërem & aquam; etenim aquatica videntur odorem sentire. Verùtamen Plinius huic sententiæ aduersatur lib. 9. c. 7. scribens in hunc modum, Super omnia esse auditum & odoratum piscibus; non erit dubium, ex aëris vtrunque materia, odorem quidem non aliud, quàm aërem infectum intelligi posse. Quibus verbis cõsentit quidem pisces odorare, verũ non aquæ, sed aëris interuentu, quẽ bullantium aquarum sufflationis experimẽto, piscium somno, lunæq; effectu concharum quoque corpora augescente, aquæ permiscери opinatur. Nititur illo capite cõtra Aristotelem defendere, pisces respirationis munere fungi; ad cuius probationem coactus fuit adducere, aërem; quem ipse vitalem halitum vocat, in aquas penetrare, quia sine eo respirationi locus non datur vllus, id autem colligit ex somno, ex bullantium aquarum sufflatu, & ex lunæ effectu concharum corpora augescente. Quæ sanè rationes inualidæ sunt, & nihil aduersus Aristotelem conuincunt; quia dormire pisces absque eo, quod respirent, nihil est, quod impediat: nam si sine respiratione vigilant, cur dormire etiam sine respiratione non poterunt? Vitalem autem auram in aquas penetrare contingere potest, vel cùm illa cum pondere aliquo delapsa descenderit, verùm hæc mox sese refert; quò fit, vt vndam sursum compellens, bullas excitet: vel quod vapores propter solis abstractionem

Plinius Aristotelis aduersatur.

Arist. li. 2. de anima, c. 8. in fin. tenet pisces non respirare.

Quibus modis contingat aerem in aquã penetrare.

Digitized by Google

ctionem ex terra subdita mari, vel ex aliqua alia parte terræ cauernosæ transcurrentes exhalant, vt dicere necesse sit, auram aliquam sub aqua remanere non posse. Etsi qua ex causis de prædictis oriatur, statim ascẽdere proprium locũ quærens. Hoc enim Aristoteles nos docuit lib. de sensu, & ijs, quæ sentiuntur, cap. 5. dicens, Pisces olfacere videntur, quamuis aër in aqua non sit (nam simulac aër in aqua gignitur, emergere assolet) nec ipsi respirent. Quod autẽ concharũ corpora in plenilunio incrementum capessant, nihil ad rem attinet, cùm non ex respiratione, aut ex trãspiratione aliqua; sed vel quia per id tempus eorũ humor diffundatur, & maiorem occupet locum; vel quoniam propter temporis clementiam pinguescant, & saginentur, talis effectus producatur, id, quod etiam de cancris Plinius asserere videtur lib. 9. cap. 31. inquiens, Omnia eius generis hyeme læduntur, autumno & vere pinguescunt, & plenilunio magis: quia nocte sydus tepido fulgore mitificat. Quæ sanè ab Aristotele accepit lib. 4. de partib. animalium, cap. 5. parum ante medium, vbi sic ait, Laborant testata omnia per frigus & æstum, atque exuperantiam temporis pari nequeunt; argumento est, quod echinis euenit: habent enim id, quod ouum appellant, iam ab ortu naturæ & plenilunijs vberius, non quia per id tempus copiosius pascuntur, vt quidam putant: sed quod noctes tepidiores sunt propter lucem pleniorem; calorem enim desiderant, quoniam frigori patent, vtpote quæ sanguine

Digitized by Google

guine careant; ex quo fit, vt æstate potius vbique vigeãt, præterquàm in Pyrensi Euripo: nã ibi nõ minus tempore hyberno probãtur; cuius rei causa est, quod tunc vberius pabulentur, cùm pisces per id tempus ea loca relinquant. hæc Aristoteles. Quæ etiam quinto libro de historia animalium tetigerat. Audire etiam pisces palã est aquæ interuallo: est enim aqua interuallum auditui eorum, sicuti aër auditui terrestrium: auditur quidem sonus, & in aëre, & in aqua, vt .2. de anima, cap. 8. ab Arist. traditum est, nulla tamen pars eis est manifesta, quæ sensum ministret audiendi, siquidem vt Plinius ait, neque membra neq; foramina auditus habent: audire tamen eos palam est, vtpote cùm plausu congregari feros ad cibũ consuetudine in quibusdam viuarijs spectetur; & in piscinis Cęsaris genera piscium ad nomen veniisse eiusdem Plinij testimonio compertum habemus. Sonos etiam immodicos, vt trirremiũ, remigia fugere visuntur, itaque fit vt facile intra sua stabula capiantur: nam etsi externus strepitus paruus est, ijs tamen qui demersum in humore suum auditum habent, æquè omnis ingens, molestus, grauisque occurrit; quod certè vel in delphinorum captura euenit: cùm enim piscatores repente alueis vniuersis circundederint gregem delphinorum, inde obstrepentes in mare, efficiunt, vt territi erumpant vniuersi in littora, capiunturque tentato grauatoque capite præstrepitus inflicti nimietate. Olfactus quoque similis intelligitur ratio, & cùm partem nullã sensariam habeant

Franciscus Masarius, Venetus in 9. lib. Plinij. Lib. 10. c. 70.

Digitized by Google

habeant manifestam; attamen sagaciter odorantur, nam procul odorem sentiunt in aqua; argumento quod pisces nonnulli escam putridam à longinquo festinanter petant, non tamen aëris, sed aquæ interuallo: quare odor non tantũ aër infectus intelligitur, quemadmodum Plinius fuit opinatus, cùm etiam aqua infecta intelligi possit. Verùm in Plinij opinione falsa quidem, & à veritate prorsus declinante cõfutanda, non est cur modo tempus conteramus immodicũ, cùm hoc à præsenti tractatione alienum videatur: & illa à Francisco Masario Veneto efficacissimis rationibus iamdudum sit confutata, atq; explosa. Quod verò ad præsens propositum attinet, probatum abunde est, odorem non tantum per aërem, sed etiam per aquam diffundi, piscesque sub aqua, vbi aër non est, spiritum trahere non posse.

In castigationibus & annotationibus in 9. lib. Plinij, cap. 7.

¶ *Quid odor secũdum Platonem & Galenum, ac quibus indicijs deprehendatur illum fumalem esse euaporationem.* Cap. XII.

HActenus quidem quid Aristoteles & Theophrastus de odoris natura censuerint, explicatum abunde est. Quid verò de ea Plato & Galenus decreuerint, explicandum deinceps. Plato in dialogo de natura, odorem fumum esse aut caliginem, scriptis mãdauit. Cui sententiæ suffragatur Galenus lib. 4. de simplicium medicamẽtorum facultatibus. c. 22. in eum scribens modum,

Odor fumus est aut caligo.

Digitized by Google

Odorabilium substantia est vaporosa.

dum, Odorabilium vaporosa est substantia; ea enim, quæ à corporibus defluunt, ambienti permista, ac deinde per narium inspirationem in cerebrum delata sensum mouent. Recta ergo ratione quæcunque odorata eadem & calida sunt, quippè cùm vaporum copia à calore proueniat. & paulò inferius sic ait, Videtur autem à corporibus non odoratis, aut omnino paucum defluere, aut quod pro mole sua non sit moderatum, sicut in his, quæ exactè tum salsa, tum acerba sunt: exactè autem cùm tale aut tale quid dicimus syncerum, & (quantum fieri possit) alterius qualitatis expers dicimus: siquidem crassa vtrisque essentia est, & adhæc acerborum etiam frigida. Quare verisimile est, quod ab ijs defluit, paucum esse & crassum, & mole sua velut terreum, ac proinde per inspirationem in cerebrum non incidere. Aristoteles itidem lib. 13. problematum problemate. 5. Odoris naturam vaporem quendam & delationem esse, scriptum reliquit: & lib. de sensu & sensilibus, cap. 2. odorem per fumosam euaporationē definit; subditque, fumosam euaporationem ab igne proficisci. Vnde Auerroes in paraphrasi eiusdem libri, cap. 5. non alia ratione probat odorabilium naturā fumosam esse, nisi quod multa non habentia odorem igni approximata illum recuperant, nosque per malaxationes plurimarū rerum odores deprehēdere. E numero eorū, quę igne odorem manifestant, myrrhæ, thuraq; habentur: nam hæc, teste Plinio, lib. 21. c. 7. non nisi vsta

Digitized by Google

vsta odoratiora fiunt. Quæ sanè cuncta manifestè ostendunt, odorem corporum esse defluxum, & vaporosam quampiam substantiam, quæ ab odorabili deciditur re: nec quicquam aduersus hæc Arist. argumentum conuincit, li. 12. problematũ problemate, 10. dicẽs, quod si ab odoratis corporibus aliquid delibaretur, minora certè ob eam rem reddi oporteret: cùm tamẽ quæ odoratissima sunt, hæc potissimum eadem videamus edurare. Quia odor, cũ substãtia quædã tenuissima sit, & halitus referat speciem, vix longissimo temporis interuallo in corporibus, à quibus defluit, sensibilem efficit mutationem: atq; idcirco eadẽ mole illa videntur edurare: quanquàm hæc deinceps tandem rugosiora euadant, vt ex Galeno constat lib. de instrumẽto odoratus. c. 2. scribente in hunc modũ, Id enim, quod à rerum corporibus exhalat, odoris substãtia est, quod ex rosis maximè, similibusq;, quæ fic tenera sunt, cognoscere licet; quorũ omnium corpora celeriter minora & sicciora reddũtur: ex quo apertè intelligitur ex earũrerũ substãtia partẽ humidiorẽ inhalitũ digeri; est enim halitus corpus tenuissimũ, atq; ob id obtutũ effugit. Quomodo eidẽ Aristoteli respõderi debet problemate. 49. sectionis primę, dicẽti, odorem nullam corpulentiam gerere: non enim gerit odor corpulentiam vllã sensibilẽ, aut quæ sensibus percipi queat. Contẽdũt nõnulli, odorem nonesse fumalem euaporationem, sed qualitatem potius ab eo, quod fumaliter euaporat in aẽre generatã, existereq; omnino in medio

Odor corporum est defluxus.

Rationes eorum, qui tenent odorẽ non esse fumalẽ euaporationẽ.

Digitized by Google

posse absque eo, quod aliquid sit in illo fumalis
Prima. euaporationis; quod primò probant vulturũ argumento, qui à quingentis leucis ad corpora in bello occisorũ per solum odoris sensum peruenere, quod fieri non posse arbitrantur per fumalem euaporationem: cùm hæc ad loca adeò distãtia pertingere non valuerit, ne si prædicta cadauera vniuersa in illam fuissent resoluta. Idem de apibus dicendum est, quæ ex longa loci intercapedine ad paucam mellis quantitatem, dum elixatur, accedunt: quod per fumosam diuaporationem fieri vllo modo nequit. Nam exiguum mel non potest tantum attenuari, vt tam longo spatio sufficere, aut ad maxima distantia loca pertingere queat, ne si vniuersum illud in substantiam aëre tenuiorem redactum foret. Igitur animalia prædicta odorem sentiunt, non quidem per vaporosam diffusionem, sed per intentionalẽ qualitatem per aërem ab ipso corpore odorato, non
Secunda. secus ac lumen à sole diffusam. Rursus si odor realiter cum substãtia quadam tenui à corpore odore prædito decisa diffunderetur vsque ad organũ olfactus, sequi necesse esset, sensibile reale sensui admotum sensationem efficere, quod Aristoteles non concedit. Porrò pisces è longinquo odorem persentiscunt, quod fieri non potest per fumalem euaporationem; hæc namque, teste Aristotele, in aqua fieri nequit, & si fiat, non potest la-
Tertia. Lib. de sensu & sensibilibus. c. 5 tè diffundi, cùm illicò corrumpatur, ac pereat: nec valeat in illa ob superfluentem humiditatem ne pauxillo quidem temporis spatio persistere,

Digitized by Google

aut

aut aliquantulum permanere. Atque his quidem argumentis & alijs similibus aliqui probare nituntur, odorem fumalem euaporationem nō esse: sed immaterialem tantum qualitatem per aërē aut aquam disseminatam. Veruntamen secus Plato & Galenus censuerunt, odorem, vt visum superius est, per fumum aut caliginem definientes, quod rationibus verum esse probari non obscurè potest: nā si odor immaterialis esset qualitas & intentionalis tantummodo nulloque vapore innixa, vt cogitarūt prædicti, remoto corpore odorato protinus aboleretur, & ne momento quidē temporis remaneret, quia qualitates immateriales, cùm à suo producente inconseruari dependeant, eo remoto nullam sanè permanētiam obtinent, sed statim vnà etiam & ipsæ deperdūtur, ac pereunt, vt in lumine, & speciebus coloris videre est, quæ lucido & colorato corpore ablatis, omnino & ipsæ amouentur, nullam prorsus consistentiam habentes: sed videmus odorato corpore remoto odorem seruari, ac diutius in ambiente remanere, quod fieri non potuit nisi relicta ab eo in aëre ipso aliqua substantia, tenui quidem & halitus speciem referente, quæ in absentia corporis odore præditi valuerit odorem conseruare, eundemque illic veluti nexu quodā tenere. Præterea qualitates, quæ intentionales habentur, vt coloris species, non mouentur, nec impediuntur à ventis, sed flantibus his eodem illæ modo sentiuntur, ac si aër tranquillus foret: quod de odoribus haud quaquam dicendum est, cùm

Odorē fumalem esse euaporationem probatur.

Prima ratio.

Secunda.

Digitized by Google

ipsi à flatibus vehantur, non secus ac fumus, & reliqua corpora tenuia & halitus speciem referentia. Vnde euenit vt nobis ex aduerso ventis existentibus facilè sensum moueant, cò quod illi à ventis ipsis ferantur. Si verò odoratum corpus infra flatus extiterit, nullo pacto odor à nobis percipi potest. Rursus qualitates intentionales temporis momento per medium multiplicãtur, vt coloris species, quæ simul eodemque temporis articulo à remotioribus, ac à propinquioribus conspiciuntur: odor autem non sic sentitur, sed temporis successione mouetur, prius à propinquioribus, mox ab illis vicinis: vltimò verò à remotioribus perceptus. Quæ sanè cuncta argumento sunt, illum intentionalem qualitatem non esse, sed vnà cum corpore aliquo tenui moueri, quod inquam fumalem euaporationem vocare medicis ac philosophis mos est.

Tertia.

Auctoris sententia, qua decernitur quæstio.

Verùm quod ego censeo, odor semper ad certam vsque distantiam cum fumali diuaporatione disseminatur, qui deinceps per speciem solam, quam vocant intentionalem, ad longius spatium procedit, homo sine fumali euaporatione nõ potest odorem percipere, vt infra capite. 15. innotescet: ex reliquis animalibus plurima possunt; ratio est, quia, teste Aristotele, lib. 2. de anima. capit. 9. nos sensum hunc non habemus exactum, sed inferiorem complurium animalium sensu: & consequenter ait, remissè namque homo olfacit, & nihil odorabilium percipit, absque dolore vel volũptate, propterea quod sensus instrumentum

Digitized by Google

tum huiusce non est exactum, atque perfectum. Et paulò inferius subscribit, verùm exactiorem gustum habemus, quàm odoratum, ex eo, quia gustus tactus est quidam; quem quidem sensum homo exactissimum habet. Quod similiter confirmat lib. de sensu & ijs, quæ sentiuntur, cap. 4. in initio in eum scribens modum, Porrò saporũ genus, quàm odorum nobis euidentius est; cuius causa est, nos habere olfactum cæterorũ animalium olfactu inferiorem, & omnium sensuum, qui in nobis ipsis sunt, stupidissimum: tactum verò superiorem, & omnium exactissimum; gustũ autem tactum quendã esse. Hæc Aristot. Est igitur tactus in nobis perfectissimus, simulatque gustus; in cæteris verò sensibus à multis animalibus nos superari, nullũ inconueniens esse putat Aristot. plurima namque aquila & linx vident, quæ hominis conspectũ prorsus effugiunt: aliqua aperaudit, quæ homo audire non valet: sic multa canis & aues nonnullæ olfaciunt, quæ homini omnino sunt inodora. Quare mirãdũ nõ est, vultures ex lõgissimis locis per solã intentionalẽ speciẽ mortuorũ corpora odorare. Nõ tamen verũ arbitror triduo illos ante aut biduo volare, vbi cadauera futura sunt, tanquã eorũ necẽ præsentientes, quod à Plinio lib. 10. historiæ mundanæ. c. 6. scriptum inuenio; quoniam sensus non nisi à sensibili præsente alterari & immutari potest, dicente Aristotele lib. 2. de anima, omnia pati & moueri ab actiuo & ab actu existente; sentire autem, eiusdem sententia, pati quoddam est: alte- *Text. 54.*

Digitized by Google

ratur ergo sensus non ab eo sensibili, quod nondum est, sed ab eo, quod actu existit, & præsens habetur, visus à colore, auditus à sono, olfactus ab odorabili qualitate, in vaporosa diffusione, aut in caligine aliqua in aëre existēte. Verū quia vultures mirū in modū cadaueribus delectātur, vnde non inuenustè multi sepulcra animata appellauere, & in prouerbium similiter abierit, Si vultures, cadauer expecta. atq; hinc illud Ennij poetæ, Vulturis in siluis miserum mandebat Homonem, idcirco mortuorum corpora ante necē præsentire, quibusdam est persuasum. Illud tamen in præsentia omittendum non est, plurimos philosophorum opinari fumalem euaporationem pertingere nō posse sensorium olfactus, si modo odoratio futura est, sed speciem tantum, quam vocant intentionalem, & hoc ne discedāt ab Aristotele dicente, sensibile reale supra sensum positum non moliri sensationem. Veruntamen ego non video quid sit, quod huiusmodi contactum possit impedire; quandoquidem fumalis euaporatio intrat per nares, attrahitur per inspirationem in cerebri anteriores ventriculos, iuxta quos odorandi sensorium collocatum est. Rursus si idem sensorium, cùm læsum est, ab extrinsecus acceptis medicamentis cōtingitur, cur à fumali euaporatione medicamentis ipsis multò tenuiore non tangetur? Quòd autē medicamenta olfaciendi sensorium contingant, ex Galeno liquet lib. de instrumento odoratus cap. 4. vbi iuuenem quēdam recensēt, qui cùm odorandi sen-

2. de anima. tex. 73 & 98. & 116.

sum

Digitized by Google

sum à diuturna tum grauedine, tum distillatione læsum haberet, ad nigellam remedij causa confugit, & magnam ex ea vtilitatem suscepit, contundit itaque illam diligenter, vt medicamentum ipsum postulabat, & in puluerem redegit, veteríque oleo immiscuit, iterumque eandem cum eo humore minutissimè triuit; mox aquam ore excepit, & supino capite non minimam medicamenti partem sibi naribus instillatam adducto spiritu vehementius attraxit: eodemque modo triduum medicamento vtens, magnopere ex eo iuuenis ille adiutus est. Præterea si humor crassus & pituita viscida ex cerebri ventriculis anterioribus per nares foras egreditur: cur non ingredietur intus fumalis euaporatio ab odorato corpore deciſa? præsertim cùm dura membrana, quę cerebrum cõuoluit, teste Galeno, ea parte isthmi, id est, cribri vel spongiæ instar, sit perforata? Mucum porrò, vt Galenus ait, ex cerebro crassum & glutinosum sternutamenta detrahunt, quem vnà cum spiritu foras impulso educunt: non igitur rationi consentaneum est, vt cùm spiritus aliquis è cerebro per sternutamenta effundatur; in idē tamen nullus vnquã infundatur; præsertim cùm & ossa illic sint colo similia, & cerebri mẽbrana, quę ijsdem in superiori parte substernitur, multis sit foraminibus traiecta. Ad hæc, eodem docẽte Galeno, quod validi odores caput statim lædant, & impleant, & aggrauent; & in delirium interdum prouocent, argumentum est, nonnihil substãtiæ eorum cerebrum tentare, quandoquidem non

Lib. 8. de vsu part. cap. 7.

Lib. de instrumento odor. c. 6.

Vbi supra.

Digitized by Google

ob solam communicatam qualitatem in tam subi tos tamque vehementes affectus incurreret: eademque ratione idem ab odore rosarum iuuari consentaneum est, cùm à solis exustione laborat: atque hoc quidē adiumentum ab aëre frigido naribus attracto nihilominus capit, cùm ad eundē modum affectum est: contrà verò à valde calido idem grauiter lædi videmus. At dicunt, quod si fumalis euaporatio pertingeret odorandi sensorium, sequi sensum formas cum materia suscipere, quod Aristoteli aduersatur: nam lib. 2. de anima, tex. 121. sic ait, Oportet autē vniuersaliter de omni sensu accipere, quod sensus est id, quod est susceptiuum formarum sine materia, vt cera annuli sine ferro & auro recipit signum: accipit autem aureum aut æneum signum, sed non in quantum aurum, aut æs: similiter autem & sensus vniuscuiusque ab habente odorem, aut saporem, aut sonum, patitur: sed non in quantum vnumquodque illorum dicitur. & deinceps textu. 138. subdit, Vnumquodq; enim sensorium susceptiuū est sensibilis sine materia, vnde & abeuntibus sensibilibus insunt sensus & imaginationes in ipsis sensorijs. hæc Arist. Sed ego certè huiusmodi sequelam non video: nam non ob id, quod fumalis euaporatio odoratus sensoriū pertingat, sequi necesse est, recipere sensum formas; vna cum materia: & vt ab Aristotelis exēplis nō recedamus, quemadmodum cera aureo aut argēteo adhærens sigillo, non ipsam auri vel argenti materiam recipit, sed ab eis tantum figuram

suscipit,

Digitized by Google

ſuſcipit, ſic odorandi ſenſorium (vt idem de reliquorum ſenſibilium ſenſorijs intelligatur) fumalem euaporationem excipiens, nudam ſpeciem ac immaterialem ſuſcipere valebit. In eo tamen viſus & cæteri ſenſus differre cenſet Galenus, quod hi expectant, vt ad ſe offeratur ſenſibile: viſus verò per medium aërem ad coloratum porrigitur; quò fit, vt ſolus vna cum colore rei viſæ & magnitudinem & formam etiam percipiat; quod nullus alius ſenſus, niſi quandoque tactus, atque id per accidens, poteſt. Ariſtoteles verò, qui putat viſionem intus ſuſcipiendo fieri, non dixit viſum ad rem vſq; viſam peruenire, ſed huius potius ſpeciē ad illum. Verùm hæc diſquirere præſentis inſtituti non eſt; quare melius erit, vt quæ ad propoſitā attinent tractationem proſequamur. *7. de placitis. c. 5.*

¶ *Species odorum à differentijs ſaporū deſumi: ac quid in oſtendendis rerum naturis nobis colores conducant.* *Cap. XIII.*

CIrca tractationem hanc multa ſeſe offerunt diſputanda, nempè vtrùm ſpecies odoris ſpeciebus ſaporis correſpondeant, illarumque vna & eadem exiſtat affectio? & an odor in numero eorum, quæ corpus nutriunt, recenſeri debeat? Quod itidem ſit odoris ſenſorium, quodq; eiuſdem temperamentum? ac quis odoris vſus habeatur? Et vt ordine, quo fuere propoſita, diſſerantur, Ariſtoteles libro. 2. de anima. text. 95. & lib. *Quid in ſequentibus agendū ſit.*

Digitized by Google

& lib. de sensu & sensibilibus. c. 5. odores non ita manifestos sicut sapores esse scriptum reliquit; atque ob id ait, ab his desumpta fuisse nomina, acres & dulces odores appellantes, & austeros, & acerbos, & pingues, & amaris etiam proportionales. Galenus verò lib. 4. de simplicium medicamentorum facultatibus. c. 22. fatetur quidē nos dicere quippiam acidum acremque habere odorem, austerum tamen, acerbum, salsum, aut amarum haud etiam dicere: sed in hasce duas appellationes odorabilium pleraque reducit beneolentia & graueolentia; appellans quidem beneolentia proportione quadam ad ea, quæ linguæ sunt dulcia: graueolentia verò ad ea, quæ non dulcia: vno enim nomine totum hoc in saporibus genus appellari non posse scribit. Acidos tamē & acres odores similiter ac sapores nos afficere testatur; siquidem acida omnia, & ante ista ipsum adeò acetum similiter odoratum, gustumque mouēt: tum acria quoque velut allia, cepæ, & ipsa nō minus, quàm gustum, odoratum quoque offendūt, mordicantque: in alijs tamen prædictis ferè omnibus (eiusdem sententia) mutuò consentiunt odoratus & gustus: nam quorundam corporum etiam non gustantes qualitatem cognoscimus, velut fimi: proinde omnino, ne gustare quidem aggredimur, quia, scilicet, vt ipse Galenus ait, admodum fides habeatur odoratui, quin etiam si qua boni odoris edulia putrilagine corrupta odore nos suo offendūt, protinus ea abijcimus haud gustare dignati. De odore autem & olfactibili

Austerū, acerbum, salsum aut amarū odorē dici Galeno nō placet.

minus

Digitized by Google

minus facile determinare nos posse, quàm de saporibus, omnibus est in confesso. Cuius rei causam attulit Aristoteles lib. 2. de anima, cap. 9. dicens, sensum hunc nos non habere certum, sed peiorem multis animalibus: gustum verò certiorem, propterea quod ipse quidam tactus est, quē sensum homo certissimum habet, cùm in alijs superetur ab animalibus multis, secundum autem tactum multò, quàm cætera, excellentius percipit. Galenus lib. 4. simpl. c. 23. maximam potissimamque causam, ob quam in odoratis nihil euidens de temperatura, quemadmodum in saporibus, iudicare queamus, inæqualitatem substātiæ esse ait, quippe non æque omnes odorabilis corporis partes euaporant: nec perinde omnes sensum mouent, sed illæ tantum, quæ tenuissimæ sunt, & halitus speciem referunt; cùm tamen in gustu omnes gustabilium corporum particulæ similiter in linguam incidant, cunctæque sensum moueant pro sua natura singulæ; ac proinde sapores in significandis rerū naturis certiores sunt, plusque veritatis obtinent, deinde odores, post colores, vt dixit Auicenna, lib. 2. tract. 1. capit. 3. Verùm ex coloribus minus de medicamentorū temperamentis colligere quid valemus, cùm in singulis calida, frigida, humida, sicca reperiantur; quemadmodum primo & quarto de simplicium medicamentorum facul. demonstrauit Galenus, nisi eo tantum, qui in præfatione dictus est, modo, quique à Galeno in fine libri 4. de simpliciū medicam. faculta. satis superque explicatur. Etsi

Cur de saporibus certius, quàm de odoribus iudicemus.

inter-

Digitized by Google

interdum ex colore de eorundem bonitate ac malitia, vt Mesue ait, iudicium desumere possi-
Lib. 1. antidotorum theorem. 1. mus, exempli gratia, agaricus, colocynthis, turbith, alba sunt præstantiora, nigra malefica: fcamonium subalbum, aut varium est bonum; nigrum verò malum: rosa exactè rubra melior est, & rhabarbarum ex rufo & glauco alternans, crociq; modo tingẽs, præstantius cẽsetur, vti & lapis cyaneus, qui colore sui nominis saturatus est, magis laudatur, & alia huiusmodi. Sunt etiá colores indices certi prędominantiũ in corpore humorũ; si quidem docente Galeno, lib. 4. de sanit. tuẽda. ca. 4. albiores pituita superante; pallidiores bile abundante cernuntur. Quod si meracior bilis sit, etiá planè flauiores; siquidé color à succis prouenit, non ex solidis animalis partibus, vtique cùm se succi in altũ non receperunt; accidit verò id illis propter frigora, rigores, vel animi affect⁹, veluti timorem, vel ingentẽ tristitiá, vel incipientẽ verecundiam: quorũ nullum si adsit, nunquàm se in altũ recipient succi. Æquè nec in cutẽ violẽtius irruentes hanc adurent vnquàm, nisi animus aliquo modo affectus sit: aut æstu immodico animal extrinsecus obsessum. Ergo vehementer cõmotis, aut iratis, aut in pudore véluti reciprocantibus se humoribus, inspicere colorẽ nõ oportet. At si nec ambientis violentia calidi, frigidivè, nec vllus animi affectus, cuiusmodi iá dictus est, subsit, certissima succi animalis cognitio ex colore datur. Tanquá igitur corpus, sicubi albius solito est effectũ, pituitosum abundare succũ indicat: sicubi

Digitized by Google

ſicubi pallidius aut flauius, bilioſum: ita ſicubi ad rubicundius, quã pro natura eſt mutatũ, ſanguinis abũdantiã ſubeſſe ſignificat; ſicubi ad nigrius, nigram ſupereſſe bilẽ oſtendit. hæc Gal. cuius lõgam ſeriem referre placuit, propterea q̃ nullibi (quod ſciam) exactius ipſe rem hanc docuit. Atq; ita quidẽ primæ dubitationi ſatisfactũ arbitror.

¶ *Odorem non ſolùm ſpiritus tam animales, quã vitales reficere: ſed & ſolida ipſa membra ve rè nutrire; & quomodo hoc intelligi debeat? Cap. XIIII.*

PRo ſecundæ verò enodatione aduertendum, Ariſt. lib. de ſenſu & ijs, quæ ſentiuntur. c. 5. in fine, aduerſus Pythagoricorũ nõnullos probare, odorẽ non nutrire; cuius rationes, ſi ego benè deduco, hæ ſunt, Alimentũ oportet compoſitum eſſe, veluti & ipſum quod alitur; ſed odor eſt qualitas ſimplex & immiſta; igitur nutrire non poterit. Rurſus aqua immiſta non nutrit, ob id, quia præterquàm, quod ſimplex corpus eſt, fluidum etiam & tenue habetur, nullam corpulentiam gerens: nutrimentum namque corpulentũ eſſe oportet, quemadmodum & id, quod nutritur, ergo min⁹ aër nutrire poterit, qui aqua tenuior eſt, & adhuc multò minus odor, qui merũ accidẽs & ſimplex qualitas habetur. Rurſus ex nutrimẽto neceſſe eſt ſequeſtrari aliquod ſuperfluũ, aut intus, vt in animalibus; aut extra, quẽadmodũ in plantis euenit; ſed ex odore nullum tale

Ariſtotelis rationes quibus probare cõtendit odorem nõ nutrire.

Digitized by Google

tale sequestrari apparet. Ad hæc omnibus animalibus locus est receptiuus cibi, qualis ventriculus existit, in quo concoquitur, & à quo illum corpus ad sui alitionem trahit: sed odor nullum tale habet, quia cum vaporosa intrat substantia, & ad caput statim fertur spiritatiuum vtique locum, in quo odorandi sensorium continetur.

Atque istæ quidem (ni fallor) Aristotelis rationes sunt, quibus defendere conatur, odorem non nutrire: sed alterando tantum ad sanitatem conferre. Cæterùm secus multò censuit Hippocrates lib. de alimento, vbi in hunc modum scribit, Qui celeri adiectione opus habent, ijs humidum nutrimentum ad reparandas vires aptissimũ est, qui autem adhuc celeriori, per odoratum nutriri debent. Quam sententiam citat & approbat Galenus secunda aphorismorum sectione com. 11. Verumque esse experimento demonstrauit Democritus, qui septuagesimum annum agens, vt refert Hipparchus, panis odore triduo vitam protraxit. Quod nemo mirabitur, qui apud Plinium legerit ad extremos fines Indiæ ab Oriente circa fontem Gangis, Astomorum gentem sine ore, corpore toto hirtam, vestiri frondium lanugine, halitu tantum viuentem, & odore, quem naribus attrahunt, nullum illis cibum, nullumq; potum: tantum radicum florumque varios odores, & syluestrium malorum, quæ secum portant longiori itineri, ne desit olfactus: grauiore paulò odore haud difficulter exanimari. Verũtamen (quod ego iudico) Aristoteles hac in re-

Per odorẽ nutritionẽ fieri eamque celerrimam ex Hip. sententia.

Lib. 7. c. 2.

Digitized by Google

Hippo-

Hippocrati non aduersatur; siquidem ille loco citato, odorem non desumpsit pro vaporosa diffusione, quemadmodum accepit Hippocrates, sed pro sola simplici qualitate odorabili, quam, cùm sit merum accidens, nutrire nō posse, nemo inficias ibit, qui cognouerit nutritionē corporeis effici rebus: quandoquidem, teste Galeno, ipsa nihil aliud est, quàm euacuati repletio: at si quod vacuatum est, corporeum erat, & ex quatuor conflatum elementis, quod implet, & nutrit, corporeum esse ex eisdemq; compositū, necesse quidem est. Rursus eadem est materia nutritionis corporum, & illorum constitutionis; quia teste Aristotele, lib. 2. de ortu & interitu, omnia nutriuntur ex eisdem, ex quibus sunt: sed corpora nostra non constant ex odoribus, hoc est, ex simplicibus illis odorabilibus qualitatibus, ergo ex eis nutriri non poterunt. Hippocrates tamen, qui per odorem non solam illam simplicem qualitatem olfaciendi sensorium alterantem; sed fumidam euaporationem intelligit, iure ab eo refici & instaurari corpora dixit: nam hoc modo sumptus odor, corporeum quid est, ac non qualitas tantummodo: est enim vaporosa quædam substantia, aut defluxus quidā corporum, vt superius fuit visum: verè tamen odor qualitas illa sola est & simplicissima odorādi sensorij immutatrix: vaporosa verò substātia eius materies atque subiectum. Quod si odor fumida euaporatio à Platone, & interdum ab Aristotele enuntiatur: dicendum, definitionem illam causa-

Aristotelis cum Hippocrate cōciliatio.

Lib. 4. sim. cap. 10.

Text. 50.

Digitized by Google

lem esse, & non quidditatiuam, hoc est, quæ rei quidditatē enuntiet, quemadmodum & illa est, quæ de voce ab eodem traditur Aristotele lib. 2. de anima, cùm ait, ipsam percussionem esse; seu ictum respirati ab anima aëris ad vocatam asperam arteriam, vt enim vox ictus seu percussio nō est, sed ex aëris percussione efficitur: sic odor realiter fumida euaporatio non est, sed ex illa profluit & emanat. Quare quod corpora nutrit, simplex illa odorabilis qualitas non est, sed vaporosa substantia, aut fumida euaporatio, quam medicis mos est, odorē appellare. Est enim hæc portio quædam extenuata corporis odore præditi. Quapropter iure Gale. fumidā hanc euaporationē effluxum quendā corporū esse protulit, & quādo dicimus odorē nutrire, de hoc effluxu intelligimus: hic enim est, qui spiritus tam animales quàm vitales instaurat, vt medici omnes consentiūt, & experiētia mōstrat: mox enim, vt odoratæ res olfaciendi sensorio occurrunt, vires, quæ exhaustæ fuerant, ad aliquem modū reparātur; quod fieri non posset, spiritibus, qui dissipati fuerant, non restitutis & instauratis. Præterea si fœtor spiritū labefactat, atq; prosternit, cur odor eos nō recuperabit, & augebit? Quod mirum alicui haud quāquā videri debet, cùm aër solus per se, quantūuis syncerus & purus, id ipsum efficere queat, dicēte Gal. lib. 12. metho. c. 5. Animalis spiritus cerebrū veluti origine esse, illumq; partim ex inspirando, partim ex eo q reticularis plexus suppeditat, irrigari, atq; ali: & subdit, Vitalis spiritus

Cap. 8.

Aer per se solus & ab odore nudus spiritibus gignēdis materiam suppeditat.

Digitized by Google

ritus non æquè euidenté demonſtrationé habe-
ri: ſed tamen in corde & arterijs eum cõtineri, co-
gitare, alienũ à ratione nõ eſſe, eundemq; nutri-
tum ex inſpirãdo; ſed maximè & ex ſanguine. Fa-
teri igitur oportet ex Hippo. & Gal. ſentẽtia, odo-
res ſpiritus omnes reficere & reparare; atque hoc
magis facere poſſe, dum ſunt naribus propinquio-
res: tũc enim magis reſeruãt naturã rei, à qua deci-
duntur, quàm dũ per lõgius ſpatiũ vagantes mul-
to aëri cõmiſti in plurimas diſſipãtur partes. Sed
quod ijdẽ ſolidas noſtri corporis partes verè nu-
triant (quidquid ſecus Cõciliator & Muſa cẽſue-
rint) coqui & piſtores abundè declarant, qui ex
obſoniorũ odoribus aſsiduè ſaginãtur & reficiũ-
tur, quæ cauſa eſt, cur eſuriẽtes atq; famelicos nu
triẽtes odores fũmopere delectẽt; ſatiatis aũt diſ-
pliceãt, infeſtiq; ſint, quẽadmodũ & edulia ipſa.
hoc em Ariſ. cognouit: nã li. de ſenſu & ijs, quę ſen
tiũtur ſic inquit, Qm em nutritiui ſapores paſſio
ſunt, appetẽtibus quidẽ ſuaues odores eorũ ſunt:
plenis aũt & nihil egentibus non ſuaues. Rurſus
ſi ſolidiora mẽbra ex odore ſolo refocilarentur,
& non verè nutrirentur, quemadmodũ aduerſus
conciliatorẽ deduxit Manardus, nõ poſſet odor
vino aut humido alimento in nutriendo cõpara-
ri; per quod partes ſolidæ non ſolũ refocilantur;
ſed verè nutriuntur, & implentur. Porrò ſi cibi
in ventriculo nuper ingeſti pars tenuior in vapo-
rẽ fuſa per cęcos meatus & alios ſenſui cõſpicuos
quoquo verſũ in omne corpus delata, partes quę
ſolidæ ſunt, verè nutrit; cur odor, qui halituoſa

Cõciliator differ 55. Muſa lib. 2. apho. 11.

Cap. 5.

Lib. 18. epiſt. epiſt. 6.

Digitized by Google

substantia existit, easdem nō nutriet, aut reficiet? Non eguit tamē odor ad sui concoctionem prōptuario aliquo, qualis ventriculus est, quo solida alimenta opus habuerunt: sed satis illi fuere pulmones & anteriores cerebri ventriculi, & meatus alij sensibus non conspicui, quibus tota exterior cutis plena est, in quibus vaporosa odoris substātia propter sui tenuitatem facilè, expeditè, & sine multo negotio alteratur, vincitur, & in aliti substantiam transmutatur, in qua concoctione & alteratione sequestrari superfluum est necesse: verùm hoc inuisibile planè est, quemadmodum & ipsa fumida euaporatio. Ex quibus omnibus liquet, odoribus non solum spiritus instaurari; sed & solidas ipsas partes verè nutriri & impleri.

Nutritionem quam odor præstat, exiguam esse.

Nutritio tamen, quam illi præstant, exigua est, & quæ sine solidiori alimento non sufficit diutius hominē seruare. Quare id, quod de Anasthomis à Plinio dictum est, mihi in captum non venit: si namque hic ex solo odore viuerēt, ad quid eis natura largita viscera fuisset? Nam docēte Galeno, linguā, aures, & crura nō propterea requirimus, vt instrumētis & multis affluamus partibus, sed loquelę gratia, aut auditus, aut incessus, quippe demortua quauis particula, quæ abscindi potest, veluti digito, pede, & summa manu, nō patimur amplius hanc otiosam gestare, ac veluti pondus alienum circumferre, illud clarè hoc ipso declarantes, haud quaquàm nos particulis illis, sed functionibus egere. Sic vētriculus propter ciborum concoctionē nobis datus est: quemadmodū

Lib. 1. metho. c. 9.

iecur

Digitized by Google

iecur propter ἀμφοτερόν, Quapropter si alimẽta nullius essent vsus, nec ventriculus quidem, nec iecur quicquam nobis conferrent: at natura nihil facit frustra, vtpote quæ in omnibus erudita, sagax, prouida habeatur, nihil quicquam temerè faciens, nihil otiosum, vt quæ semper finis gratia operetur, vt ab Aristot. lib. 2. physico. c. 8. est proditum. & ab Auerroe eodem ipso libro cõfirmatum. Quocirca si ventriculum & iecur natura Anasthomis exhibuit, certè vt alimentum concoquerent, & ex vt eo fructũ perciperent, exhibere visa est. Atque de hac quæstione satis. Quare tempus est, vt ad alia explicanda accedamus.

Natura semper propter finem operatur.

¶ *Quod sit olfaciendi organum: quæ illius natura, ac vbi collocetur?* *Cap. XV.*

TErtiò differendum proposuimus quod sit odoratus instrumentum: quæ res apud medicos adeò ambigua & controuersa habetur, vt Galenus integrum de ea librum scribere dignum putauerit: & meritò quidem, quia de illo maior est, quàm de cæterorũ sensuum instrumentis hæsitatio: quandoquidem in confesso apud omnes est, oculum & in eo præcipuè humorem crystaloidem visionis esse instrumentum: auditus neruum à quinta ortum coniugatione, & per auditorium meatum dilatatum insitum aërem in se includentem, aut, vt Vesalio placuit, ossa illa duo, quorum alterum incudem, alterum malcolũ re-

Sensuũ instrumenta.

Digitized by Google

præsentat: vel quemadmodũ alij censuerũt, ossiculũ aliud stapedam sic à figura, quam refert, dictum. Gustatus linguam instrumentum cuncti agnoscunt. Tactus neruos multos per totius corporis habitum disseminatos. De olfactus verò instrumento; cùm non adeò constet, iure peculiari enarratione quid illud sit, disquirendum est,

Quid per instrumentum sensus intelligatur.

intelligentes hoc in loco per instrumentum sensus id per quod sentiens facultas propria sensibilia dignoscit. Verùm cùm inspirantes tantum olfaciamus, inuestigandum est, qua parte earũ, per quas spiritus permeat, odores dignoscamus. Hãc verò nõ esse palati tunicã, perspicuũ est, quandoquidẽ obstructis naribus, aut digito sic cõpressis, vt claudantur, spiritu ore adducto nullus odoris sensus mouetur. Eandẽ ob causam nec faucium, nec asperæ arteriæ tunicæ id officiũ delegatũ esse censendũ est. Sed cui nã alij parti delegetur, nunc videndum. Nõnulli philosophorũ tenent Arist. putasse vim odorũ sensitricẽ naribus inesse; verùm (quod ego arbitror) nec Aristo. hoc voluit,

Arist. non dixit nares esse olfactedi sensorium.

nec nares olfaciẽdi sensoriũ poni debent. Primũ patet; nam Aristot. lib. 2. de anima, cap. 9. & lib. de sensu & sensibilibus. c. 5. apertè docet, animalia respiratione vtẽtia citra respirationẽ olfacere nõ posse, hominemq; inspirando tantũ odorem sentire: non expirãdo, aut spiritum detinendo, quod certè necessariũ nõ foret, si sensus odorũ in naribus exponeretur: nã si illic sitũ esset, certè absque respiratione olfacere possemus. Præterea, ea, quæ ab illo de operculis foraminũ mẽbranę similibus scribun-

scribũtur, ab impetu attracti aëris reserari solitis, vt ad eã partẽ, in quavis odoris dignoscẽdi posita est, propriũ eius sensibile perueniat, clarè ostendunt, instrumentũ odoratus nõ in naribus ipsis, sed multò interius esse locatũ: nã in nasi meatibus illa locũ habere non possunt, cùm opercula talia in naribus non conspiciatur, quò fit vt (quãtum coniectura assequi queamus) post nares ante olfaciẽdi sensoriũ illa ineſſe voluerit. Rursus Gal. lib. de instrumẽto odoratus. c. 5. refert, Aristotelẽ nulla ex parte tẽtasse locũ quærere, in quo primũ odoris sensus sit positus: quibus verbis innuit manifestè, Aristotelem vbi olfaciendi sensorium constitat nõ declarasse: nã si declarasset, certè Galenum scriptorum eius indagatorẽ diligentissimum non latuisset. Quod similiter confirmãt ea, quæ ab eodem Galeno paulò post dicuntur, dum sic ait, Æquum erat Aristotelem orationis parentem suam opinionem verbis constituere, nõ absolute pronuntiare, nobisq; relinquere, vt quæ eius sententia fuisset, veluti vaticinaremur: cùm nihil ipse dilucidè dixisset, nec eam, quã in scriptis posuit foraminum constitutionẽ declarasset, in tunicane narium, an loco quodam alio hæc sua odoratus foramina esse arbitraretur. talia Galenus. Qua serie ostendit, Aristotelem locum sensorij odoratus, & eiusdem sensorij foraminum non manifestasse, nec vbi illa fuerint, scriptis mandasse. Verùm sensorium hoc non esse in naribus locatum, tum partis ipsius constitutione, tũ propriis actionis accidẽtibus Galenus

Rationes quibus conuincitur nares nō esse olfaciendi sensorium.

probat: narium constitutione hoc modo, quia si naribus exponeretur, id certè esset aut in illarum ossibus, aut in tunica ossa ipsa obducente: quandoquidem pars tertia nulla in naribus relinquitur, cui illud adscribi possit (nam cartilago in eodem cum osse censu collocatur) sed neutri illorū attributum est, quod argumento à sufficiēti partium enumeratione sumpto probat; quoniā ossi non modo non odorandi, sed ne tangendi quidem sensus datus est: & vbi tangendi sensus non est, quemque aliorum deesse est necesse: siquidē sensus hic cunctis sensorijs communis habetur. Quo argumento eorum euertitur sententia, qui tenent incudem & maleolum, aut stapedam dictam esse sensorium auditus: nam quemadmodum os narium non est instrumentū olfactus, ob id tantum, quia os est, & sensu priuatur; pari ratione dicendum, incudem & maleolum, vel stapedam nō esse auditus sensorium, quia ossa sunt, & sensus expertia habentur. Non esse autem in naris tunica odorum sensum positum, tum partis ipsius constitutione, tum proprijs actionis accidentibus colligit; partis constitutione, quia tunica, quæ intus naribus substernitur, cùm eadem sit cum illa, quæ linguam, palatum, & reliquas oris partes vestit, si illa odoratus existeret instrumentum, necesse esset, omnes eodem sensu odoris esse præditas, eodemque affectu cunctas participare; quandoquidem si vna eademque tunica omnibus impartitur communisque existit, oportet itidem sensum hunc omnibus impartiri,

Os sensus expers.

commu-

Digitized by Google

communemque haberi: sed contra accidit, nam cùm tunica hæc cum altera simillima sit, sic eandem superare sensus acumine non valet: poterat tamen sola neruorum magnitudine antecellere, vt lingua fecit: at nec ea re præstare cernitur, sed neruorum tantum adepta est; quantum ad sensum tactus necessarium erat. Item natura eius tunicæ substantiæ earum rerum, quæ odoratum mouent, non respondet, at reliquæ respondent: quandoquidem gustandi instrumentum humidum & spongiosum est, quod verò ad tactū attinet, durū ac terrestre; cùm natura (vt latiùs infrà dicetur) in fabricandis cuiusque sensus instrumentis similitudinem sensibilium sit sequuta, itaque & odoratus instrumentum vapori simile esse oportebat, non durum & terrestre, vt tunica, quæ naribus indita est, quæ non solum talis est, sed etiam neruis iustæ magnitudinis caret: quos certè, si ipsa odoratus sensorium foret, habuisset, & in ea re linguæ prælata esset, cùm in ordine instrumentorum sensus tertium locum ad dignoscendam tenuem substantiam teneat: neruus enim, qui animali ad cernendum datus est, ad id magnitudinis peruenit, vt eo multò maior sit, qui ad os ventriculi deductus est, quamuis nō in oculum totum distributus sit, sed crystalinum corpus tantum attingat: hoc enim, vt aliâs Galenus demonstrauit, præcipuum cernendi instrumentum est. Auditus autem foramen, cuius interior terminus valde exiguus est, qui neruum excipit, tantum nerui & ipsum accepit, quantum

Odoratus instrumentum quale esse debeat.

Digitized by Google

magnitudinis suæ ratio ferebat: nec verò linguæ nerui à cerebro orti exiles distributi sunt; ergo nec id instrumentum, quod ab odore mouetur, gracilem à natura neruum accepisset, vt is, qui in narium tunicas distributus est; atque hoc idē vapori simile esset, talis enim est odoris substantia, ex quibus rebus efficitur, vt ipsi quoq; in inuestigando odoratus instrumento à naribus abducamur; si quæstionem quidem dijudicandam à constitutione partium sumamus: si verò rem à proprijs actionis accidentibus inuestigare velimus, nullum odoris sensum, nisi spiritu naribus attracto, moueri videbimus: reliquo autē tēpore odoris sensu caremus; etiam si nares ipsæ vapore admodū olente repletæ sint. Si quis enim in cubiculo admodū angusto bitumē, casiam vè, aut myrrhā, thusve, aut stiracē in suffitū colliquet, vt vndiq; circumfusum aërem odore vehementi repleat, mox eundem sic naribus excipiat, vt attrahere per interualla longa conetur, hic rei veritatē intelliget: siquidem tantummodo, dum spiritum adducet, odorem sentiet; interiectis autem temporibus, cùm spiritum continebit, odorem nullum percipiet, quanquam nares olente vapore repletæ sint. Hoc idem eueniet, si in ipsas aliquid vehementis odoris instilles: nam ita quoq; solo attracti spiritus tempore odorem percipies. His de causis pars corporis, quæ odores dignoscit, alia à dictis esse est manifestum, ea videlicet, quæ interius in cerebro posita est, non quæ tam in promptu est, & in summo corpore locata,

cata, vt tunica, quæ naribus indita est. Ex quibus omnibus clarè intelligitur, instrumentum odoratus interius intra cranium esse collocatum: sed quodnam hoc sit, & vbi consistat, deinceps est disquirendum. Galenus lib. de instrumento odoratus, cap. 4. & 3. de locis affectis, capit. vltimo. & 4. de simplicium medicamentorũ facul. c. 22. opinatur odorum sensum in anterioribus cerebri ventriculis contineri. Quod similiter confirmat li. 7. de placitis Hippocratis & Platonis. c. 5. vbi in eum scribit modum, Olfactus instrumẽtum non in narium meatibus sedem habet, vt plerique putant, sed in extremitatibus anteriorum cerebri sinum, quò narium meatus pertinent, qua maxima in parte vaporosos esse cerebri ventriculos constat. Et lib. 8. de vsu part. c. 6. itidem sic ait, Reliquum autem adhuc odorum sensorium intra cranium factum est solum omnium in ipsis cerebri ventriculis anterioribus, vaporosum quendam spiritum continentibus. Cui sententiæ similiter subscribit Aetius lib. 2. sermo. 2. ca. 96. dicens, Verùm odoratus sensus intra caluariam est in anterioribus cerebri ventriculis, vaporosum quendam spiritum habentibus. Itaque prima ratio, quæ Galenum adduxit ad credendum odorationem fieri in anterioribus ventriculis cerebri est, quia, vt suprà ostensum est, & inferius etiam amplius ostendetur, sensoriũ oportet esse sensibili simile: at sensibile est vaporosum (dictum namq; iam est, odorem vaporem esse) vaporosum igitur olfactus sensoriũ esse necesse

est:

Digitized by Google

est: tale autem sunt cerebri ventriculi anteriores; non tunica narium, quæ frigida ac sicca terreaq; est, & à vaporis natura longe aliena. Habet cerebrum insitum quendam motum à motu arteriarum longè diuersum; nam, vt inquit Galenus, nõ ei impossibile est, cùm alia moueat, sibi motum quendam, eumque exiguum præbere, modo in se ipsum, modo ex se ipso, ita vt tum compressius sit, cùm sese contrahit, fusius verò, cùm se ex omni parte dilatat. Quos motus adeò conspicuè exercet, vt in nuper natis non solùm tactu, verùm etiam visu verticem diu palpitare deprehendamus; his motibus & agitatione cerebrũ aërem & proficuos vapores ad sese attrahit, & expellit fuligines. Ad hæc iuuenis quidam, qui odorandi sensum à diuturna grauedine læsum habebat, à nigella in puluerem redacta, veteriq; oleo mista, & per nares vehementius adducto spiritu attracta adiutus est. Quæ sanè cuncta argumento sunt non leui, odoris sensum in anterioribus cerebri ventriculis contineri: nam si non tam intimius, sed in narium tunica existeret, leuis spiritus adductio sufficeret, nec vehementi opus esset attractione. Atque his quidem argumentis, alijsque similibus concludit Galenus, odorum sensum in ipsis esse cerebri anterioribus ventriculis. Quod licet Galeni sit placitum, verum tamen ex omni parte non est, cùm ex tali assertione sequatur, idé esse sensus principium, & instrumentum sentiendi, quod dici non debet; quia, vt 1. de causis symptomatum, c. 8. idem docet Galenus, cerebrum non

Lib. de instrumento odoratus. cap. 4.

Quid ad Gal. sententiam de instrumento odoratus sequatur.

Digitized by Google

non vt sit sentiendi instrumentum, sed vt sensuũ instrumentis vim sentiendi suppeditet, à natura institutum est. Porrò tactus est cæterorum sensuum principium, ac veluti fundamentum; sed hic aut cerebro deest, aut obscurissimus & hebetissimus ei inest, ergo quemq; aliorũ illi deficere, rationi consonum est: nam vbi tactus nõ est, aut exiguus admodum est, quilibet ex alijs deesse videtur. At inquient cerebrum exiguum admodum tactum habere, atque ob id nos remissè olfacere, quia cerebri portio est, quæ ab odoribus alteratur, quæ cùm obtusè tangat, obtusè itidem odorabit. Sit vt dicunt; At in canibus & vulturibus, in quibus sensus iste acutissimus est, intensusq; valdè, quid dicent? Certè proferre tenẽtur, sensorium odorandi vel cerebri partẽ non esse, (id, quod nos probare intẽdimus) vel cerebrum horum animalium exactiorẽ tactus sensum obtinere, quàm hominis. Quod certè non dicẽt, quia teste Aristot. tactus sensus in nobis exactior est, quàm in cæteris animalibus. Ex quibus clarè intelligitur, sensum odorum in cerebro non collocari; sed vbi hoc sit, nondum enuntiatum à nobis est. Franciscus Vallesius lib. 2. controu. in fine capitis. 24. inquit, nouissimè Vesalium inuexisse sententiam quandam dicendo processus quosdã cerebri, mãmillares appellatos, odorat' esse instrumentum. Verũtamen ego opinionem hanc multò Vesalio antiquiorem esse reperio: siquidẽ Auicenna. 5. tertij, tract. 1. vbi de olfactu & de ipsius nocumentis verba facit, statim in initio sic ait, Et instru-

Li. 2. de anima. c. 9. & lib. de sensu & sensibilib. c. 5.

Digitized by Google

instrumentum quo fit odoratus, sunt duo additamenta mammillaria, quæ sunt in anteriore cerebro, & extenduntur a duobus ventribus anterioribus cerebri. Ex quibus verbis liquet, Auicennā auctorem esse opinionis de processibus mammillaribus, quæ sunt odoratus instrumenta, non Vesalium, vt putauit Vallesius. Sunt autem processus isti Galeno & Aetio germina duo oblōga ac caua principium quidem ex anterioribus ventriculis habentia: progredientia autē ad illam cauariæ partem, vnde nasus initium habet; suntque ista vera odoratus instrumenta: nam omnia, quę ad illius naturam requiruntur, obtinent; consistunt siquidem intra cranium, vnde euenit, vt citra inspirationem olfacere non queamus. Sunt etiam essentiæ vaporosæ: quò fit, vt cum odoribus similitudinem habeant. Sentiunt exactius, quàm cerebrum; nam licet de cerebri substantia sint, nerueam tamen speciem præ se ferunt. Præterea sunt ante cerebri ventriculos positi, quod non parum facit ad credendum, naturam in ipsis sensum odorum constituisse, veluti exploratores halituum cerebrum subeuntium, qui futuri sunt animalium spirituum materia, quod in gustu fieri compertum est: hic namque in lingua continetur ad hoc, vt alimenta antequàm ventriculum ingrediantur, tanquàm ianitor quidam præsentiat; præsentiensque familiaria quidem admittat, aliena verò renuat, atque refugiat. Non habemus nos olfactus sensum exactum, sed, vt Aristoteles docuit, inferiorem complurium animalium

Gal. lib. de instru. odoratus. c. 2. Aetius li. 2. sermone 2. c. 96.

2. de anima. cap. 9. in initio.

Digitized by Google

lium sensu: remissè namque homo olfacit, & nihil odorabilium percipit absque dolore vel voluptate, quod indicat, illum non percipere, nisi extremas odorum differētias; nam quæ huiusmodi non sunt, ob sui imbecillitatem percipere non valet, causa est, quia sensus huiusce instrumentū ob superfluentem in nobis humiditatem obtusum est, non exactum nec perfectum: odor namque, teste Aristotele, sicci est: quare sensorium, quod humidū nimis est, ægrè difficulterq; odores percipiet, tales sunt mammillares processus, qui cùm de cerebri substantia sint, humiditatem non exiguam præ se ferunt. Est enim cerebrum in nobis humidissimum, vt Aristoteles varijs in locis prodidit, atq; ob id facile grauedine & distillatione tentatur. Munitur instrumentū odoratus, tutaturq; à noxis extrinsecus occurrentibus osse cribroide & dura menynge, hac in parte pluribus foraminibus traiecta: oportebat enim, inquit Galenus, huius sensus proprium sensibile cerebri portionem alterare: oportebat etiam ei operimentū quoddam eiusmodi esse circumiectum, quod tum cōseruare ipsum posset, tum transitū vaporum ipsorū sensibiliū interea nō impediret: verūm si impediturum non erat, tantò id rarius esse oportebat opperimēto auditus, quātò sensibile huius, quàm auditus, crassarum erat partium: ferè enim quantum aër partium tenuitate à luce relinquitur, tantum vapor etiam ab aëre. Videre autem est ex ipsis quoque, quæ nobis quotidie euidenter apparent, quàm latos esse

Lib. 2. de anima. c. 9 in fine.

1. de hist. animaliū, c. 16. & 5. de genera. animaliū, c 3. & 2. de partib. animaliū, cap. 14.

Lib. 9. de vsu part. cap. 6.

Digitized by Google

oporteat partium illarum opperimenti meatus: obstructis enim ab aliquo naribus, vt quodam loco Plato ait, odor quidem nullus transcolatur: aër verò sine odore solus ipse sequitur. Atqui perspicuum iam est, quod res hæc, quæ apparet, satis indicat vaporem crassarum esse partium, quam pro meatuum latitudine, qui in obstructis insunt naribus, quodque sensorij olfactus opperimentum rarius his esse oportuit: atque etiam tale esse apparet, si quis in animali mortuo ipsum acceperit, in omnesque partes distenderit ad lucem puram ipsum conuertens. Quamdiu enim rugosum fuerit & laxum incidētibus alijs super alia, ijs, quæ circum meatus sunt corporibus, obscura ac inuisibilia sunt hæc foramina. Seiunctis verò rursus, dum tenditur, facilè deteguntur, ac patefiunt; nisi fortè in corporibus à vehemēti frigore, aut tempore diuturniore induratis iā, atque exiccatis id experiaris. Quod si paulò ante mortuum etiam fuerit animal, satius fuerit aqua calida id perfundendo periculum eius, quod dicimus, facere. Magnum autem laxitatis harum partium opperimenti est argumentum, quæ sæpenumero accidit à partibus superioribus excrementorū simultanea euacuatio, quæ sanè βλεννας, quidem: antiqui κορυζας, id est, destillationē seu grauedinem: iuniores autem μυξας, hoc est, mucores apellant. Ea enim est naturæ solertia, quam ferè vsurpare solet, vt nusquam instrumenti cuiusque vllam prætermittat actionem, aut vtilitatem; cùm multæ ab vno probè præstari queant. proin-

Digitized by Google

Proinde hic quoque cum cerebri ventriculi loco inferiore sint siti, ex partibusq; sibi propinquis necessario excrementa affluentia sæpè excipiat, animal ipsum apoplexijs frequenter prehenderetur, nisi viam quandam horum effluxui accommodam hic quoque natura secuisset: atque ne melior quidem excogitari vlla poterat ea, quæ ampla simul esset ac decliuis, intus igitur foras per narium meatus excrementa feruntur; foris autem intro facultatis olfaciendi sensibilia, duabusque his vtilitatibus instrumentum vnicum subseruit: alteri quidem ad vitam necessariæ: alteri verò ad vitam commodiorem. hæc Galenus. Qui longissima hac serie non solum olfaciendi sensorij locum annotat: verùm etiam meatuum ad ipsum pertinentiũ vsum commoditatẽq; exactissimè ostendit. Quod autem ex Platone in suę sententiæ comprobationẽ affert, habetur in Timæo parum post medium sub hoc verborũ colloquio, Quando certa quadam re naribus accurrente aliquis in se ipsum vehementer spiritũ trahit; tunc sanè nullus simul influit odor: spiritus autem ab odore nudus solus sequitur. Cur verò os cribroides prędicta foramina rectanõ habeat, vt cribra, sed in eo, quemadmodum in spongia, meatus sibi ipsis è directo non respondeant, nec recti planè sint omnes: & quanquã nonnulli eorum sint eiusmodi, plurimi tamen sint tortuosi, & anfractuosi, vt lõga circuitio multò prius ei sit conficienda, quod per eos ad cerebrum peruenturum est, causam attulit Galenus in eodẽ lib. 8.

de vsu partium, capite præcitato dicens, At quoniam opperimentum eius oportebat esse foraminulentum simul & rarum, vt ad cerebrũ quidem aërem respirationis causa celeriter deduceret, vaporem autem, dignotionis odorum: tũ autem vacuaret repente ac semel, si quando necessitas inciderit, excrementorũ copiam. Magna autem ipsius opperimenti ad patiendum facilitas constructionẽ eiusmodi necessariò sequebatur: magna præterea visceris principalissimi, cerebri scilicet, offensio, natura os variè pertusum velut spongiam ipsi apposuit, simul ne aliud corpus durum quoddam extrinsecus incidat, simul ne viribus integris aër frigidus inspirantibus nobis recta in cerebri ventriculos sese insinuet: nõ enim semper eramus inspiraturi aërem moderatè frigidum, sed nonnunquàm vel frigidissimum, qui, si recta in cerebrum incideret, ipsum profectò immodicè refrigeraret, omnemq; vitã in periculum adduceret. hæc Gale. Ex quibus verbis deducitur, odoratus sensoriũ dura cerebri meninge, & osse cribroide vocato tantum circumuallari ac opperiri: hæc enim cùm anfractuosis meatibus satis sufficiunt ipsum & cerebrũ vniuersum tutari, ac ab extrinsecus occurrentibus noxis munire atque defendere. Aristoteles tamen lib. 2. de anima, cap. 9. in fine, de hoc sensorio verba faciens sic ait, Instrumentum olfactus in hisce quidem, quæ non respirant, velamine caret, perinde atque oculus durus, vt diximus; in his autem, quæ suscipiunt aërem, habet velamen, quod

Aristo. de velaminibus meatuũ ad olfactus instrumentũ attinentibus sententia.

Digitized by Google

quod, cùm respirant, aperitur venis, meatibusve distentis. In libro verò de sensu & sensorijs, ca. 5. sed respirantibus, inquit, spiritus id, quod instar operculi cuiusdam superpositum est, aufert: vnde fit, vt quando non respirant, nullum odorem sentiant: non respirantibus autem hoc natura denegauit. Quibus verbis Arist. clarè ostendit, instrumentum odoratus foramina quædam ad ipsum pertinentia habere, quæ non semper aperta sunt, sed operculis quibusdam membranæ similibus tenuibusque reguntur: quę operculà ab impetu attracti aëris reserantur, vt ad eam partem, in qua vis odoris posita est, proprium eius sensibile perueniat. Veruntamen Galenus libro de instrumento odoratus, ca. 5. hac in re aduersus Arist. inuehitur, probans talia velamina in meatibus olfactus non reperiri, quia si talia essent opercula, aëris exterioris impulsu reserarentur; sed non ita fit: nam etsi aër vehementi impulsu in nares mittatur, nisi inspiratus vel inspiratione attractus, nullum prorsus odoris sensum mouebit. Rursus dici non debet, talia velamina nostra voluntate moueri: nam si ita esset, quoties vellemus ea reserare etiam nullo spiritu adducto, aperiremus & clauderemus: veruntamen non ita accidere clarè experientia docet. Sed multò minus dicendũ est, huiusmodi velaminum motũ naturæ opera effici; quemadmodum in cordis motu accidit: nã si ita fieret, non semper id cũ adducto spiritu contingeret; sed proprium sui motus ordinem haberet, vt in idem tempus nunc cum

Sententia Aristotelis à Galeno refellitur.

Prima ratio.

Secũda ratio.

Digitized by Google

accepto ſpiritu concurreret, nunc cum eodē reddito, nunc cum tota reſpiratione retenta. Quod ſi nec à vento impetuosè flante, nec per ſe, nec cum motu inſtrumentorum, quæ ad ducendum ſpiritum accommodata ſunt, prædicta mouentur opercula, nec etiam per anatomen apparent, ſequitur illa non exiſtere: nam ſi exiſterent, certè aliquo prædictorum modorum mouerentur, aut in diſſectionibus apparerent: præſertim cùm nullus talium velaminū vtilis ſit vſus futurus. Quare dici non debet, naturam tale quicquā fruſtra machinatam eſſe: nam ſi foramina quædam ad odorandum apta conſtituiſſet, non ea impoſitis operculis occluſiſſet, vt nec ea occluſit, quæ in auribus extant: melius enim (docente Galeno) eſt omnem ſenſum aptum eſſe, atque expeditū, vt propriū ſenſibile ſemper dignoſcat, nec natura propterea oculis operimenta dedit, quia melius eſſet eos non perpetua in actione teneri; ſed quia molles erant, & ob eam rem lædi ab incurſantibus rebus facile poterant, à quibus, vt defenderentur, natura palpebras ipſis, quaſi quædam propugnacula dedit.

Atque hactenus quidem explicatum habemus odorandi ſenſorium intra cranium conſiſtere; eſſeque non anteriores cerebri ventriculos, ſed proceſſus illos mammillares, iuxta ipſos cerebri anteriores ventriculos collocatos. Sed cur vterus odoribus mouearur, ambiguitatem parit nō exiguam: ſuauiſſimis enim ipſum odoribus delectari, ingentemque ab eis voluptatē ſuſcipere, ſicuti

Quare vterus odoribus mouetur.

à malis

Digitized by Google

à malis indignari, & moleſtiam ferre, ex eo conſtat, quod aromatum ſuffitu expanditur: rebus verò fœdis & peſsimum odorem ſpirantibus refugit, atque contrahitur. Hinc eſt quod Galenus. 1. de arte curatiua ad Glauco. cap. 14. in defectu animi ex vtero, naribus ea, quæ fœdiſsimum odorem obtinent: vtero autem odorata, & ea, quæ laxare ac calfacere poſsint, medicamenta adhibere non ſine maxima ratione conſuluerit. Idem ſed vice verſa in vteri procidentia facere medici præcipiunt, nempe odores iucundos ambram nimirum, moſchũ, galliam moſchatam, aliptam moſchatam, naribus cõtinenter admouere: fœdos verò & tetros muliebribus locis: ob idque taurino, vel bubulo ſtercore, vterũ per infundibulum ſuffiunt. Idemque facere cenſent ammoniaco, ſagapeno, opo partico (quam aſſam fœtidam vocant) per ſe aut vrina fœtente ſolutis. Muliere tunc ſic circũtecta, vt vapor fœdus nares non attingat, ſed per ipſas bonus & voluptuoſus ſolũ ingrediatur: ad hoc vt vteris qui infrà ad eius collum & nonnunquàm foras egreſſus eſt, ac procidit, ſurſum ac in ſuum locũ aſcendat. In vteri tamen præfocatione fœtentia hæc, quæ dicta ſunt, naribus admouent, ſuauiter verò olentia ſubtus ponunt, vt deſcendat, ac in propriam ſedem dilabatur. Quæ ſanè cuncta argumento ſunt, vterum odorandi ſenſu eſſe præditum, odoribuſque bonis delectatione affici, ſicuti fœdis, dolore. Verũtamen diçendũ, iſthęc vterum non ob odorandi ſenſum habere (hic

Digitized by Google

namque processibus tantum mammillaribus demandatus est) sed à natura ea obtinere. Etenim appetitus ille suauissimorum odorum, quo vterus flagrat, non animalis existit; sed naturalis dũtaxat, qualis viscerum est dulcium ciborum. Vt igitur iecur & viscera reliqua, edulia, quæ dulcia sunt, ad sese auidissimè alliciunt, eisdemque oblectantur & impinguantur summopere: respuunt autem, atque abominantur, quæ sunt amara, nullo sensu gustus, sed affectu tantum naturali: sic vterus naturali inclinatione & affectu ad bonos odores capessendos monetur, fugit autẽ & aduersatur eos, qui praui fœtentesq; sunt. Est ergo olfaciendi sensorium intra cranium, non in vtero constitutum, quod certè eiusdem naturæ cũ odore esse censetur, atq; hoc sensorijs omnibus commune habetur, cuncta namq; cum suis obiectis cognationem & similitudinem habent, quemadmodum ex Galeno constat lib. 8. de vsu part. c. 6. vbi sic ait, Alteratur enim non à quolibet sensibili quodlibet sensorium: sed splendidũ quidem ac luminosum à coloribus; aëreum à sonis, vaporosum ab odoribus, &, vt semel dicam, simile simili est familiare. & lib. de instrumẽto odoratus. c. 2. Cernẽdi instrumentũ, inquit, naturalucidissimũ fecit, vt quod lucem tantum & splendorem sentire debebat: quod autẽ ad auditũ attinet, aëris simile constituit; siquidem ad sonos, qui vehuntur aëre, recipiẽdos dicauerat: sic & quod saporẽs dignoscit, quod linguam appellamus, ex humidiori corporis substantia molita est: aliquid verò, quod

Quid sensorijs cũctis commune habeatur.

Digitized by Google

quod inter naturam aëris & humoris est, in odorãdi sensum cadit, quod neq; ita tenue est, vt aër, neque ita crassum, & humor: id enim, quod à rerum corporibus exhalat, odoris substantia est. Vim tangendi in sensibilium dignotione natura creauit, nec eam certo loco secluſit, quod in alijs omnibus fecit, de quibus modò dictum est: sed in vniuersum corpus distribuit. Verum singula hæc amplius indagemus; & fusiori aliquantulum enarratione cuncta disquiramus. Quia igitur lumen splendidũ est, & colores similiter, teste Platone in Timæo, flãmulæ quædã sunt, idcirco visus splendidus & igneus esse debuit, quẽadmodũ idem Plato censuit, cuius sententiam Gal. sequitur lib. 10 de vsu partium, & lib. 7. de placitis. c. 6. vbi scribit, visus instrumentum ignis purissimũ genus esse, Platonem affirmasse, quẽ ipse splendorem & lucem appellat à pruna & flamma longè distantem, quia minimè vrit, sed lucem oculis exhibet. Constat itaque de Platonis & Galeni sententia, visum fulgidũ esse & igneum; etamsi Aristoteles lib. 5. de generat. animalium, cap. 1. & lib. de sensu & ijs, quæ sentiũtur, illũ de natura aquæ esse protulerit, nixus humoribus, quibus oculus constitutus est. Auditus aëreus existit; quoniam vox aër est verberatus, eodẽ atteſtãte Arist. lib. 2. de anima, cap. 6. Odoratus est vaporosus, quoniã odor fumus aut caligo esse definitur. Gustus aqueus habetur, & tactus terreus. Et lib. 7. de Placitis Hippocra. & Platonis. c. 5. hanc eandem sententiam voluit, dum ait, Aptè igitur dice-

mus visus instrumentum lucidum esse, aëreum auditus, vaporosum olfactus, gustatus humidũ, terreum tactus: nullo enim alio modo potest, cùm ex similium alteratione consistant. Quæ sanè cuncta confirmat Galenus lib. de causis symptom. cap. 6. Quo loco comparans delectationem auditus delectationi visus, scribit hæc verba, Porrò in hoc sensu (de auditu loquens) manifestior apparet delectatio, eò quod crassiori cõstat essentia, atque manifestior etiam, quàm in hoc, voluptas percipitur à sensu olfactus, quod ipsius quoque essentia crassior sit: etenim vt aër crassitudine splendorem vincit, ita vapor aëre crassior est: at verò splendor ad videndi, aër ad audiendi, vapor ad odorandi sensum pertinet, quemadmodum ad gustum humida natura, ad tactionẽ verò solidum corpus. Ad cuius etiam comprobationem accedit auctoritas Empedoclis, quæ affertur ab Aristotele lib. de sensu & ijs, quæ sentiuntur; & à Galeno lib. 7. de placitis Hippocratis & Platonis. c. 5. Quæ hunc in modum se habet, Conspicimus tellure terram, liquore liquorem, aëre naturam aëream, igne cernimus ignem. In qua sententia quatuor sensibus quatuor condonauit elementa, terram tactui, aquam gustui, aërẽ auditui, ignem visui: olfactum autem Galenus mediam naturam obtinere dixit inter aërem & aquam, nempe vaporem: est enim vapor humor extenuatus, aut aër incrassatus, vt Aristoteles docet lib. 1. meteororũ, cap. 5. 8. & 9. Quod similiter Galenus probat 7. de placitis Hippocratis &

Plato-

Digitized by Google

Platonis, cap. 6. dicens, Quintus quippe hic, licet non sint quinque elementa, sensus euasit, quia odorum genus mediam inter aquam & aërem naturam sortitum est, id quod etiam Plato in Timæo inquit his verbis, Dum enim aqua in aërem, aërque in aquam mutatur, medij extitere odores vniuersi. Ex his clarè intelligitur, quis sensus maiori, & quis minori dolore afficiatur: nam si dolor omnis in repentina diuulsione cõtinui, & violento ac simultaneo motu ab habitu naturali in habitum non naturalem facto consistit (quemadmodum Galeno Hippocrati atque Platoni est persuasum) sequitur sensum illum, qui crassiori essentia constat, & cuius obiectum crassius etiam est, maiorem dolorem persentiscere; è contrario verò minorem, cuius essentia simul & obiectum tenuissima sunt. Quare tactus omniũ vehementissimo dolore & voluptate afficitur; deinde gustus, mox olfactus, pòst auditus, & postremò visus. Quod Gale. docet lib. 1. de causis symp. c. 6. scribẽs in hũc modũ, Delectatione verò ac dolore omnes sensus affici possunt, sed dissimili efficacia, quippe visus parum afficitur: tactio verò & gustus maximè, mox ab ijs olfactus; atque hunc sequitur auditus. hæc Galenus. Sed & ratio id ipsum suadere videtur: nam essentia sensus crassior ægrius ac à maiori diuelletur vi, tenuior facilius, & à vi minori; sic obiectũ crassius magis quassare atque diuellere potest, contra tenuius minus. Validos verò odores olfactui violentiam inferre Aristot. est auctor, lib. de in-

Quis sensus maiori, & quis minori afficiatur dolore.

Digitized by Google

somnijs.c.2. vbi ait, fieri ab eis difficulter odorantes, sicuti à magnis sonis surdastros; excedēs namque sensibile, vt idem Aristot.2. de anima.c. 12. scriptum reliquit, sensus est destructiuus, eidemq; doloriferum, sicuti moderatum voluptuosum. Verùm de dolore & voluptate in præsentia differere non proposuimus, quemadmodum nec de sensorijs reliquis, sed tātum de olfactu. Quare ad illum iterum sermonē conuertentes dicimus, sensum istum nobis datum esse ad odores ipsos dignoscendos: ipsa verò rursus odorum dignotio, vt Galenus ait, non parum iuuat totā respirationem, non sinens vapores prauos, qui alioquin nos laterent, vnà cum puro spiritu ingredi: sensu enim ab illis offenso ac læso admonemur, aut scilicet, aufugere quàm celerrimè ab illis, aut aliquid naribus admouere eiusmodi, quod vapores quidem arcere queat; aërem autem transmittat. Est etiā olfactus veluti explorator eorū, quæ per os ingredi debent, nam quæ ille abominatur, gustus percipere detrectat.

Lib. 8. de vsu part. cap. 7.

¶ *Animalia respirationis expertia quo pacto odorent: & vbi olfaciendi sensorium obtineant. Confutatur etiam Plinij sententia, quæ tenet insecta respirare.* *Cap XVI.*

HActenus quidem de olfaciēdi modo ac odorandi sensorij loco in animalibus, quæ respirant, dictum abundè est. Superest igitur, vt explicemus, quo pacto animalia respirationis vsu carentia,

Digitized by Google

rentia, vt insecta sunt omnia, odoribus moueantur. Sanè illa odoribus moueri perspicuum est: nã apes vt grauium odorum suffitu, bituminis inquam, aut sulphuris, bubulivè fimi fugantur; sic longissimè ad suauiter olentes flores excurrunt, inde pabula melli conficiendo idonea sumpturę. Veruntamen quia Plinius rationibus nonnullis suffultus respirare insecta animalia aduersus Aristotelem contendit; idcirco in præsentia confutanda argumenta sunt, quibus ipse ad suam opinionem tutandam est vsus: ne fortè quidpiã veritati obsistãt. Etenim illorũ hoc primũ vel maximum esse putatur, quòd insectorũ generapleraq; murmur edere, vt apes; alia canere, vt cicadæ apparẽt. Rursus culices & muscæ sonũ seu bombũ quendam elidunt, quẽ certè non ederent, nisi aërem arriperent. Præterea animalcula hæc olfactu prædita sunt, qui non nisi ex aëris materia intus per respirationem attracta effici credidit.

Nullũ insectũ respirare tenet Arist. lib. 4. de hist. animalũ, cap. 9. Li. 11. c. 35.

Veruntamen dicendum, quod insecta nec respirãt, nec respirare illis est necesse, quoniam respiratio refrigerationis causa data est animalibus, quæ caloris vbertate prædita sunt: insecta autem exanguia cùm sint, frigida quoque sunt, ideò respiratione non egent; vtpotè quæ extrinsecus ab ambiẽte aëre satis refrigerari possunt. Quod hystericis mulieribus euenire consueuit; nam hæ cum toto corpore refrigerentur nimis, nulla prodeunte ab ore refrigeratione, sed sola transpiratione, quæ per totam agitur cutem, si Galeno creditur, viuere queunt.

Lib. 6. de locis affec. cap. 5.

Cen-

Digitized by Google

Censendum igitur est, quod naturæ repugnaret, si genus insectorum halitum per respirationem traherent; quia cùm exanguia & frigida ea sint, dubio procul nimia refrigeratione ocysimè interirent. Quapropter natura tutò illis consulens spirandi vsum denegauit, vt diutius seruetur. Rursus ad quid natura tam pretiosum hoc respirandi munus his animalibus non indigentibus in cassum dedisset; cùm omnia, quæ ab ea efficiuntur, non frustra, sed rei melioris causa semper fiant? Præterea ad respirationis vsum obeundum instrumenta exiguntur, necessariaque sunt, hæc autem in visceribus continentur, at insecta ipsa visceribus carent, ita affirmante Aristotele, & eodē Plinio comprobante: carebuntergo respiratione, cùm & finis desit, & efficiens. Verùm cùm omnia odores sentiant, iure in præsentia disquiritur, quis sit eorum odorandi modus? Sanè rem hanc inuenire, difficile non erit, si legere velimus ea, quæ cum diligentia ab Arist. sunt tradita, lib. 2. de anima. c. 9. & li. de sensu & ijs, quæ sentiūtur, cap. 5. & lib. 3. de partibus animalium. c. 13. vbi docet, prædicta animalia non aëris attractu, sed sola odorabilis rei ad sensorium præsentia odores percipere, quod in illis apertum sit, & odorabili expositum olfaciendi organum persimile duris quorundam animalium oculis, qui, vt nullo sunt operculo nulloque tegumento præmuniti: sic semper colores apertos & occurrentes habēt: homo autem, cùm odorandi sensorium intra cranium opertum & reconditum habeat, in processibusque

Lib. 4. de historia animalium, cap. 4.

Digitized by Google

ſibuſque mammillaribus ſitum, odores ni introrſum ducto ſpiritu percipere non poteſt, qui ad illud per nares & per oſsis cribroidis meatus progrediatur, & viam fumidæ euaporationi, quã ſecum deducit, faciat. Idem eſt in piſcibus ac in inſectis de olfaciendi ſenſorio proferendum iudicium: nam illi etiam ſine reſpiratione odorem apprehendunt, eò quòd organum iſtud, quemadmodum inſecta, patens, & apertum obtinent. Veruntamen inſecta præcinctu odores ſentiunt, ſi Ariſtoteli creditur, lib. 2. de partibus animalium, cap. 16. illic enim ſpiritus vaporoſus continetur. Sed quo loco in piſcibus non reſpirantibus olfaciendi ſenſorium collocetur, ambiguum certè & ſcitu difficile eſt: rationi tamen conſonum videtur, in roſtro illud iuxta organum guſtus collocari; cùm, vt dictum eſt, hi duo ſenſus mutuò ſibi inuicem conſentiant, concordeſque ſint. Ex aquatilibus verò quicunque plurimo ſanguine abundant, vt vallenæ, delphini, vituli marini, & cætacea omnia, calidiores aliis ſunt: (ſanguinis enim vbertas & affluentia cauſa caloris eſt) quam ob rem refrigeratione egentes reſpirationis munere funguntur; vnde & pulmonem & collũ obtinuerunt: nam pulmo reſpirationis cauſa animalibus datus eſt: collum verò pulmonis occaſione. Quamobrem in quibus reſpiratio deeſt, in ijs & pulmonem deeſſe, conſequens quidem eſt: generatio enim colli ſimul cum pulmone perit: propterea namque in piſcibus, qui non reſpirant, nõ eſt collum, quoniã nec pulmo; quibus verò animalibus

Inſecta aquã parte ſentiant odores.

Digitized by Google

malibus est pulmo, ijs omninò & collum datum est, ita tradente Galeno lib. 8. de vsu part. cap. 1. Cui sententiæ subscribit Arist. 3. de partibus animal. c. 3. & lib. 4. eiusdem operis. c. 10. in initio, vbi sic ait, Quæ enim pulmonem habent, collum etiam obtinent, quæ autem spiritum extrinsecus non accipiunt, carent hac parte. Est etiam dexter cordis ventriculus gratia pulmonis factus; pulmo autem ipse respirationis & vocis est organũ; quapropter, docente Galeno libr. 6. de vsu part. cap. 9. semper simul cum pulmone vox animalis, & cordis dexter vẽtriculus pereunt, atq; hinc euenit, vt genus vniuersum piscium pulmone carentium mutum omnino sit, quibus verò pulmo datus est, respirationem & vocem habent. Qua de causa hi, vt Aristot. lib. 2. de anima. c. 9. in fine tradidit, odorem in aqua non sentiunt: nam sine respiratione odorare non queunt: at in aqua respirare non possunt, & ijs, quibus pulmo concessus est, branchiæ deficiunt: quia teste Aristot. lib. 4. de part. animalium, cap. 13. branchiarũ natura quasi ad spirandi vsum piscibus data est, quę illis ad attemperandum exiguum eorum calorem sufficiunt: natura enim, inquit Galenus, frigidiores sunt pisces, quàm vt ipsorum cor magna indigeat refrigeratione: indicant autem eorum temperamentum cum alia multa, tum maximè sanguinis penuria: aut enim carent omnino, aut paucum planè sanguinem habent. Quocirca quę aquatilia multò sanguine sunt prædita, ac calida, vt delphinus, vitulus, vallena, hæc omnia

Arist. lib. 1. de histo. animaliũ, cap. 5.

Lib. 6. de vsu par. capit. 9.

Quænam aquatilia respirant.

ex

Digitized by Google

ex aëre respirant: nec diu sub aqua esse patiuntur: sed illam interdum exeunt, vt halitum attrahãt. Quapropter ex amphibio genere habentur; quippe quæ aëre & aquis vitam ducant: & delphinus visus est dormire rostro emerso, ac stertere, si Aristotelis creditur lib. 6. de historia animalium, capit. 12. & lib. 4. eiusdem operis, c. 10. sic ait, Cartilaginea verò ita dormiunt, vt manu tollantur: nam delphini, vallenæ, & quæcunque fistulam gerunt, edita per summa æquoris fistula dormiunt, qua etiam spirant, pinnas suas mouendo leuiter: nam delphinum stertentem etiam nonnulli audiere. & infrà lib. 6. cap. 12. de vitulo marino verba faciens inquit, Vitulus marinus generis ambigui est: nam & mari degit; quanquàm humorem non recipit, sed spirat ac dormit, & egressus in terram parit in littore vt terrestre: sed quoniam plus temporis mari, quàm terra immoretur, cibumque ex humore petat, ideò in aquaticis de eo narrandum est, hæc Aristoteles. Quæ ob id certè attuli, vt intelligatur facilius, pisces hos omnes pulmone & respirationis munere præditos, inspirantes tantum, seu dum inspirant, odorem persentiscere: quapropter eis odor aqua infecta non erit; sed aër tantummodo infectus. Reliqui verò, qui non respirant, per aquam tantummodo odorem sentiunt. Porrò eos odorem sentire manifestum est, quippe vt Plinius ait, non omnes eadẽ esca capiuntur, & prius quàm appetant, olfaciunt: quosdam & speciunis latentes fal-

quæ nunc respirant sicut ... solent malia aquatilia spirant et non respirant, sentiunt respirare tantum ex aëre animalia quæ non respirant, solum odorare, Libr. 9. qua. 6. cap. 70. per aquam

lamento

omnino videtur a ratione alienum. Propterea, primum quia cum perfectiora sint quæ respirant, habebunt omnia sensus quibus carent imperfecta, et aliquid amplius, aut perfectius. & si anima habet imperfectiones

samento illitis faucibus scopuli piscator expellit, velut sui cadaueris agnitionem fugientes; conueniuntque ex alto etiam ad quosdam odores, vt sepiam vstam, & polypum, quæ ideò conijciuntur in nassas: sentinæ quidam nauium odoré proculfugiunt; maximè tamẽ piscium sanguiné; non potest petris auelli polypus: idem cumila admota ab odore protinus resilit: purpuræ quoque fœtidis capiuntur. Sed de piscium odoratu satis dictum est. Verùm sciscitabitur aliquis, si animalia cuncta respiratione vtentia olfacere citra illã non queunt, quo pacto ab Aristot. dictum est, odorem sine respiratione non sentiri, proprium hominis esse? Nam si hoc animalibus omnibus respirantibus commune est, hominis proprium esse non potest. Auerroes eum locum enarrans, contextum ad omnia respirantia extendit animalia, sic inquiens, homo & cætera anhelantia animalia impossibile est, vt olfaciant absque respiratione. Quæ sanè interpretatio omnem tollit ambiguitatem, nam innuit clarissimè affectionem hanc cunctis animalibus, quæ respirant, cõmunem esse, non solius hominis propriam. Hoc etiam idem Aristot. manifestè velle visus est, lib. de sensu & sensibilibus. c. 5. cùm ait, sensus eius, (id est odoris) per respirationem non omnibus, sed hominibus, & è sanguineo genere quadrupedibus, ac his qui vberius aëris naturam participant, fieri videtur. Dici etiam potest, odoré sine respiratione non sentiri, proprium hominis esse, id est, cunctis hominibus competere, licet non ipsis

Lib. 2. de anima. tex 98.

Digitized by Google

ipsis solis, quæ vna est ex proprij acceptionibus à Porphyrio in libro de quinque vocibus traditis, quatenus significat id, quod omni speciei accidit, etsi non soli, quemadmodum homini esse bipedē. Verùm de his plura fortassis, quàm ad præsens institutum expectant, dicta sunt; quibus si argumentorum Plinij solutiones adjiciam, præsenti quæstioni satisfecero. Et primò ad illud, quod apes & muscas murmur edere sentimus, dicendum, quod sonus ille non spiritum reddentibus visceribus, sed agitatu interioris spiritus, non exterioris accidit. Ea enim, quæ canere videntur, vt cicadæ, membrana septo transuerso subdita, qua præcinctum corpus distinguitur, & ad quam spiritus ibi inclusus atteritur, obstrepunt: nō obstrepere autem ipsas spiritu per ōs attracto ex eo constat, quòd solæ illæ, teste Aristotele. 4. de historia animalū. c. 7. inter insecta, & omnino in animalium genere ore carent. Locustæ suis gubernaculis atterentes sonant. Verùm de his satis: quare tempus est, vt ad cætera enarranda veniamus.

Vide Aris. lib. 4. de hist. anim. cap. 9. & Franciscū Iuasariū in 9. l. b. Plinij.

¶ *Quod sit odoris temperamentū, quotque in illo considerentur; ac cur cinere suffita amplius oleant, quàm si igne suffiantur. Cap. XVII.*

NOndum apud medicos satis constat, quale nam temperamentum odori debeat adscribi: nam Galenus lib. 4. de simplicium medicam. facultat. cap. 22. quæ odorata sunt, omnia calida

Digitized by Google

esse protulit. Quod confirmat libro. 2. de alimentorum facultatibus, capite. 15. vbi de fructu iuniperi verba faciens sic ait, Perspicuum igitur est, quod calfacit quidem tum propter acrimoniam (demonstratum enim est acria omnia calfacere) tum autem maximè propter odorem ac gustum aromatibus adsimiles, omne enim ἄρωμα calidum est. Et Aristoteles libro. 12. problematum problemate eodem odorem omnino à calore effici scriptum reliquit, cui sententiæ subscribit Theophrastus libro. 1. de causis plantarum, capite. 27. odorata proculdubio caliditatem sortiri assuerans. Et idem Aristoteles loco præcitato, petēs, cur omnia odorata, tam semina, quàm plantæ vrinam ciere possint, respondet, quia illa calida & tenuia sunt, & quæ talia sunt, vrinam citant. Veruntamen idem Galenus libro. 2. de simplicium medicament. facultatibus. c. 3. odorata calida esse non in vniuersum verum esse, manifestè velle visus est, dū ait, Nec enim quidquid benè redolet calidum est, nec si quid calidum est, statim bene olet; quod multarum rerum exemplis comprobatur, nam rosa, viola, nymphææ κυάματον, hoc est, canis rubi flores, aliaque pleraque suauiter olent, & tamen frigiditatem præ se ferunt. Aliter namque odore rosarum cerebrum non iuuaretur, cùm à solis exustione laborat, vti libro de instrumento odoratus cap. 4. & 6. scriptum à Galeno est. & lib. 13. metho. cap. 21. cùm iubet odores naribus obijcere ad cerebrum, quod in phrenitide su-

pra

Digitized by Google

pra modum incaluit, refrigerandum; non de alijs, quàm de frigidis intellexit: hi namque sunt, & non calidi, qui sopire, & caput refrigerare queunt. Opium præterea odore probari Dioscorides & Plinius prodiderunt, syncerum namque perpeti non est, deinde admotum lucernis non atra lucet flamma; extinctum denique odoris vim conseruat; quod tamen frigoris vehemẽtia enecare compertum apud omnes est. Rursus quando Galenus lib. 3. de locis affectis. c. 9. odores calidos, vt thuris, & stiracis, capitis dolorem efficere dixit, insinuat clarissimè aliquos frigidos esse: nam calidi aduersus frigidos deducti sunt; quomodo est intelligendus Aristoteles, sectione. 3. problematũ, problemate. 13. cùm ait, odorem omnem caput tentare & aggrauare; nam id de calido intelligendum est; frigidus enim odor tantum abest, vt caput grauet, vt eius grauitati medeatur; dummodo à frigore orta non sit. Sunt igitur ex odoribus calidi quidam, alij frigidi: num verò hi sint, vel illi, cognoscere docuit Auicenna, dicens, odores, in quibus sentitur mordicatio, aut qui vergunt ad latus dulcedinis, esse calidos; eos tamen, in quibus sentitur aciditas, frigidos. Prætera odores respirationis frequentiam sedantes, tardioremvè reddentes, ac soporem inducentes frigidi sunt: contrarij, puta respirationis frequentiam facientes, aut molientes vigilias, calidi: nam si acetum vigiliam infert, ex ea parte, qua calidum est & acre, non ex parte, qua est frigidum

Dioscorides li. 4. c. 55. Plinius lib. 20. ca. 18. in fine.

Li. 2. tra. 1. cap. 3. in fine.

Digitized by Google

eam efficere credendum est. Veruntamen, vt quæstio hæc melius decidatur, & veritas ipsa clarius eluceſcat, aduertendum tria in odore conſiderari; nempe qualitas ipſa odorabilis olfaciendi ſenſorij alteratrix, & fumalis euaporatio, ac huius effectrix cauſa: odorabilis illa qualitas ſyncera in ſua natura perpenſa, nec calida, nec frigida dici debet, quemadmodum nec color ipſe, qui in ſua natura vtriuſque qualitatis expers iudicatur; & ſi modo ſimul cum calore, interim vnà cum frigiditate cõſiſtat. Fumalis diuaporatio aliquando caliditatem, quandoque frigiditatem præſe fert: at eius effectrix cauſa ſemper exiſtit calida, quia, vt Galenus ait, vaporũ copia omninò à calore prouenit, nec enim vapor ab alio, quàm à calore cõſurgi eleuariq́ue poteſt, exiguus tamen debet eſſe calor, qui fumalem euaporationem (quam etiam odorem appellamus) efficere debet: nam immodicus vaporem celerrimè diſſipat, & abſumit: atque hinc euenit, vt aromata (quod etiam annotauit Ariſt.) cinere ſuffita acrius oleant, & plenius ac diutius ſuum ſeruare odorem poſſint, quàm ſi igne ſuffiantur: quia, vt Ariſtoteles ait, in cinere minus concoqui odor poteſt. Quocirca hic in cinere plenior eſt: ignis autem, quòd celeriter vires illorum domat, abſumitq́ue, odorem commutat. Eſt igitur odoris efficiens cauſa ſemper calida non admodum, ſed mediocriter. In hoc tamen diſcrimẽ habetur, quod frigiditas immodica magis odoribus aduerſatur, quàm calor immodicus, dicente Theophraſto lib. 6. de cauſis plantarum, cap. 25.

Li. 4. ſim. cap. 22.

Li. 12. problema. 7. & 11.

Digitized by Google

cap. 25. frigore geluque tam sapores, quã odores hebetiores ob densitatem reddi: nimietatem verò æstuum, ait, Saporibus quidem officere, odores tamen forsitan nonnullorum magis conseruare, & fortè illos generare posse scribit, qui familiares locis aridis sunt. Vehemens enim calor halitus nimis dissipando ac consumendo, & in multas disgregãdo partes odoribus aduersus est: sed frigus immodicum cogendo densandoq; vehementer, ne fumalem quidem euaporationem promouet, sine qua odor nullo pacto consistere valet: quapropter eius occasio mediocris calor esse censetur. Sed cur exolutus moschus in olla aperta, ac in cloaca suspensa repositus pristinum odorem recuperet (quod à Plateario primo assertum est, & deinceps multorum experimento comprobatum habetur) ratio est, quia cuncta in sui conerarij presentia corroborãtur, ac vires suscipiunt nouas, quod non solum in calore & frigore, verùm etiam in odore verum esse compertum est. Atque hactenus quidem ostendimus simplicem qualitatem sensus odoratus immutatricem, nec calidam esse nec frigidam; sed vtriusque expertem qualitatis: fumalisque euaporationis efficientem causam semper esse calidam. Superest igitur, vt ostendamus ipsam fumalem diuaporationem, quæ odorabilis qualitatis subiectum est, & materies, non semper vnius esse modi; sed interim calidam, interim frigidã existere; quod demonstrare difficile non erit, si eorum, quæ suprà retulimus, non sumus obliti: nam si ipsa cor-

Capite de muſco.

Fumalis diuaporatio temperamẽto vnius.

Digitized by Google

poris est defluxus, sequitur talis esse naturæ, qualis corpus ipsum, à quo defluit, est, quandoquidem orta suis principijs attestantur: & omne quod deciditur, ei, à quo deciditur, simile habetur. Quo circa si corpus frigidum est, erit eius vaporosa defluxio itidem frigida; sin calidum, calida. Quare mirandum non est, si rosæ odor nos infrigidet, moschi calfaciat. Nec est, quod nos esse etrix causa conturbet, vt arbitremur eiusdem cũ ea temperamenti fumalem euaporationem esse debere: nam calor est, qui nebulam subleuat, atque generat; ipsa tamen nebula nos infrigidat, atque humectat: sic pinguedo calida est, etsi à frigore fuerit concreta: acetum item à putredine ortum duxit, cùm tamen ipsum putridum non sit; sed res potiùs à putredine tueatur: animalcula præterea plurima ex putrenti materia genita fuere: ipsa tamen putrida non sunt, nec putridam materiam reseruant: non ergo quod vaporosæ substantiæ seu fumalis euaporationis efficiens causa calida sit, ob id fumalis ipsa euaporatio necessario calida esse debet.

¶ *Quæ emolumenta nobis odores afferant, essequè inter illos & odorantia conuenientias, & disconuenientias, quemadmodum & inter alimenta & alita.* *Cap. XVIII.*

VLtimo loco differendum proposuimus, quæ sit odoris vtilitas, quisvè ipsius vsus:

 sanè

Digitized by Google

ſanè hic primus & maximè vulgaris eſt, quod ſuauitatem, delectationemque non exiguam olfacientibus præſtet: atque hinc euenit, vt globus ex ambaro & moſcho zibetoque concinnatus, ac manicæ ex eiſdem rebus incruſtratæ plurimo vendantur pretio: & tempore priſco vnguentorum ſuauem odorem ſpirantium libræ quadragenos denarios excederēt: tanti enim, vt Plinius ait, emitur aliena voluptas: etenim odorem qui gerit, ipſe non ſentit; ſed tranſeuntes tantum oblectat: atque hic vnus odorum vſus eſto. *Li. 3 c. 13.*

Alter eſt, quòd partes principes, cerebrum nimirum & cor roborat: nam ea ratione, qua ſpiritus animales & vitales reficit, ac inſtaurat, eorundem ſpirituum principia & fontes, ab eiſdemque fontibus prodeuntes facultates fortiores, ac vegetiores reddit. Quod Auicenna voluit, dum ait, Omnis odor bonus, per hoc, quod eſt bonus & odoriferus, cōfortat cerebrū & cor; ſed per hoc, quod calfacit, & infrigidat, nocet in quibuſdam diſpoſitionibus; aut per hoc, quod exiccat & humectat. Tertium odorum adiumentum eſt, quod purgantia medicamenta corrigunt, & os ventriculi confirmant; atq; huius vtilitatis cauſa Hipp. li. 2. de ratione victus in morbis acutis com. 11. purgātia medicamēta non ſolū per ſe exhibuit; ſed admiſta rebus odoris, ſimulatq; grationib⁹, cuiuſmodi ſunt aniſum, apiū, daucus, ciminū, & ſeſeli. Quod multis de cauſis eum feciſſe credendū eſt: prima ne ſola ſyncera purgantiū medicamētorū virtus os vētriculi tāgat, quod Gal. teſte, ex eo, ꝙ

Lib. de remouendis nocumētis quæ accidunt in regimine ſanitatis tract. 2. titu. de eo qui læſus eſt ab odoribus bonis.

Digitized by Google

2. de vsu acuto. cō. 11. 3. de locis affect. c. 5. & 1. de cauſis ſymp. c. 7.

nimis ſenſile neruoſumque exiſtit, vehemente affligere ac lædere ſolet. Prohibent huiuſmodi læſionem ea, quæ ab Hippocrate permiſcentur, odorata: ſimul etiam ac os ventriculi, quod ſolutum infirmant, corroborant; atque hæc eſt Galeni ſententia lib. 8. de compoſit. medicamentorū ſecundum locos, c. 3. iuxta medium, vbi poſtquā præfatā Hippo. ſententiā retulit, ſic ait, Apparet enim, quod in his miſcendis maximè odorem ipſorum reſpiciat, quò medicamentariam vim, quæ hominis naturę contraria eſt, mitiget ac obtundat; quemadmodum enim graueolentia omnia ſtomachū ſubuertere ſolent, ſic odorata corroborare. Quod ſi aliquis obijciat, roſam Alexādrinam, iemiſtæ ac moſchetæ vocatæ florem iucundiſſimum odoré ſpirare, ventriculum tamen ſubuertere: dicendum iſta ſimul cum odore bono permiſtam habere deijciendi facultatem, qua & non odora vi ventrem laceſſunt, atque fatigāt. Odor præterea ſuauis ac optimus plurimum in peſte obtinet momenti; ſiquidem aëris corrupti ac putris contagia à corde cerebroque arcet, & eiuſdem qualitatem venenoſam ac corruptricem mirum in modum corrigit atque emendat. Qua de cauſa & quo caſu ignibus odoratis aëris putredinem conſumi atque aboleri inuenit Hippocrates, vt lib. de theriaca ad Piſonem. c. 16. Galenus tradidit ſcribēs in hunc modum, Summis laudibus proſequor admirandum Hippocratem, qui peſtem illam ex Æthiopia ad Græcos venientem non alio præſidio repulit, quàm aërem purum faciendo:

Digitized by Google

ciendo: præcepit itaque, vt per totam ciuitatem ignes accenderẽtur, qui non ſolum è ſimplici materia conſtarent, ſed benè olentes coronas & flores in ſe obtinerẽt, & vt vnguenta quàm pinguiſſima infunderent, & id genus alia bonum odorem ſpirantia, vt hoc pacto ciues purum aërẽ inſpirantes ab imminenti lue tuti forent. hæc Galenus. Sic nonnulli, qui in aëre peſtilenti verſantur ore garyophilum, agallochũ, acetum, feniculum viridẽ, & ejus generis alia gerunt, & identidem odorant, vt aëris putredinem odorovapore corrigant, & partes principes corroborent. Hoc etiam fine veſtes bene odoratas induunt, eaſdemque aſſiduè mutant, ne vapor putris in ijs conceptus atque concluſus ab arterijs per cutem intro traha tur. Manarduspilam parari iubet ex cupreſſo, vel junipero, vel ex lentiſci vel fraxini ligno, interius concauam, quæ aperiri & claudi poſſit: additque debere eſſe totam foraminulentam, intraq; eam ſpongiæ nouæ fruſtum immittendum præcipit, hac miſtura prius infuſum, aquæ roſaceę, vini cretici ana partem vnam, aceti partem ſemiſſem; & ſi fuerit hyems, poſt infuſionem idem fruſtum, ait, iſto puluere eſſe aſpergendum. Recipe ſtiracis, calamitæ, iridis, maſtiches partes duas, garyophilorum, macereos, nucis vnguentariæ, quam moſchatam vocant, cinnamomi, croci, agallochi ana partem vnam; ambræ partis vnius quintam, moſchi partis vnius decimam. Si verò æſtas, hoc altero, Rec. ſuccini electi partes duas, foliorum myrthi, corticum citri, florum nymphææ, roſarũ, *Lib. 5. epiſto. 3.*

Digitized by Google

violarum, croci, macereos, sandalorum citrinorum partes singulas, camphoræ, ambræ, benzoi partem semissem, moschi partis vnius decimam. Pilam sic paratam manu gerere, & crebro naribus admouere consulit; & dum maius aliquod timetur, manu eam collidere, & liquore exeunte nares illinire. Sunt igitur odores optimi in pestilētia adiumēto maximo: sicuti pessimi ac fœtētes nociui valde, nisi fortè illis qui antea eis fuerint assueti. Quomodo qui Parisijs ad cloacam Diui Nicolai in Carcueto habitant, pestem in vicinia loca vnquàm fuisse pernegant, ita Siluio in commentarijs in librum priorem Galeni de different. febriū c. 6. referente. Sic profecit sibi Mithridates sæpè poto veneno, & vsui venenorum præsumptis remedijs, quemadmodum Plinius lib. 25. c. 2. ait, corpus assuefecit, adeò vt citra noxā venena, volens se illis necare, biberit; hoc ei cōtigit, quo tempore bellū cum Romanis gerens à Pompeio profligatus, atque in extrema miseriæ fortuna cō stitutus illæsus ē vita discedere festinaret: hausit itaq; venenum, & plus etiam, quàm satis esset, ebibit: nec tamen ipse mori potuit. Sic anus quædam Athica cicutam consuetudine ipsi familiaré effecit: alio qui publicū Athenis venenū. Ad eun dē sanè modū, qui putribus odoribus sese assuescit, in pestē incolumis euadere potuit: tantū enim in cūctis cōsuetudo valet; quo circa merito adscititia natura à veteribus dicta est: igitur vapores fœtentes odorantibus cōsuetudine familiares, & minimè infesti efficiūtur. Sunt & alij insita facultate,

Gal. lib. de theriaca ad Piso. c. 16. nō dicit Mitridatē assuefactū fuisse venenis: sed antidoto sui nominis appellata, quæ illius mēbra ita temperauerat, vt ārē noxia pati non posset.

Digitized by Google

tate, & abdita quadam vi naturis quibusdã conuenientes, vt stercoris humani canibus, moschi nobis; cùm tamen vtriq; putredinis soboles sint: nam illi ex putredine ortum duxere, & moschus similiter, cùm pus sit ex abscessu animalis cuiusdam ab incolis gazella, à nobis dorcax peregrina, appellati dissiliens. Quocirca rationi videtur cõsonum eidem animali olidum putre ac fœtens esse debere: quemadmodum reliquorum animalium sanies ex abscessibus vomicisvè erumpentes, quæ quia putredine participant, fœtorẽ non exiguum præ se ferunt: sunt namque amicitiæ & inimicitiæ inter odorabilia & animalia odorantia, quemadmodum inter alimenta & alita, quia eorum odoratus à nostris lõgè diuersus est, quẽadmodum & gustus; quò fit, vt cornu ceruini & styracis odore serpentes fugentur, si Plinio creditur, lib. 9. cap. 70. & origani aut calcis, aut sulphuris virore formicæ necentur; vt idem Plinius scriptum reliquit. Est & rutæ odor serpentibus maximè aduersus, vnde quoties mustella dimicatura cum eis est, rutam comedit, ita Aristotele testante lib. 9. de historia animalium. c. 6. quia, vt ipse ait, odor eius herbę serpentibus infestus existit; sed non minus, quàm ruta alliorum odor serpentibus inimicatur; quapropter Persæ, auctore Simone septi, coquinas alijs replent, vt ipsas ab eorum consortio tueantur: alijs itidem perunctos pantheras & leones non attingere, Plinius affirmat. Basilisco rursus mustellæ virus exitio esse eiusdẽ Plinij testimonio li. 8. c. 21.

Strapio ea pit. 185.

Vbi suprà.

Li. 29. c. 4. in fine.

confir-

confirmatum habemus: adeò enim naturæ nihil placuit esse sine pari, iniiciunt eas cauernis facile cognitis sola tabe, necant illi simul odore, moriũturque ambo, & naturæ pugnam conficiunt. Nã quam basiliscus viſu occidere non potuit, odore interemit. Sunt huiusmodi alia, quæ occulta quadam antipathia cunctis hominibus aduersantur, cuiusmodi fuit aura illa pestilens, quæ (si vera sunt, quæ Iulius Capitolinus commemorat) in Babilonia ex arcula aurea, quam fortè miles quidam inciderat, euasit; vnde nata fertur pestilẽtia, quæ inde Parthos, orbemq; complexa est, cui haud absimilis vel ea certe prauior fuit pestis illa, quæ teste Guidone, Cauliacensi, tract. 2. cap. 5. Anno Domini. 1348. ab oriente incipiens vniuersum ferè mundum peragrauit, & quemadmodum ille scribit, vix quarta hominum pars vitæ superstes euasit.

In vita Veri Imperatoris.

¶ *Odorem viroſum à fœtore diuersum esse, ac quæ sit vtriusq; natura & effectio. Ca. XIX.*

CVM de odore plura dicta sint, superest, vt de graueolentia seu fœtore nonnihil disseramus, siquidem contraria cùm sint, mutuò se declarant; contrariorum enim vnam ac eandem similemque esse disciplinam ab Aristot. varijs in locis docemur. Interim tamen hoc in loco monitum lectorem velim, non esse idem odorem fœtidum, atq; viroſum; nam ille putredinis semper soboles

3. metaph. c. 2. 1. topi co. c. 8. & 3. probl. 7. & 11.

Digitized by Google

soboles est, hic verò natura pluribus inest medicamentis, vt castoreo, sagapeno, & ipsi vocatæ assæ fœtidæ, quæ licet fœtidæ nomen habeat, verè tamen fœtida dici non debet; quoniã non à putredine aliqua; sed à sua ipsius natura odorem illum contraxit. Differt secundo, quoniam fœtor nemini frugiferus est; cui enim ex cadaueribus detentis, aut putrescentibus corporibus, aut ex baratris, specubus, sentinis, latrinis, & lauatrinis graueolentiam pestilentemve aurã inspirare conducet? Cùm tamen virosus odor plurimis sit adiumento, nam Galeni testimonio, li. 9. de compositione medicam. secundum locos, c. 10. ab vtero strangulatas excitat, vt bituminis, castorei, picis liquidæ, cedriæ, pilorum vstorum, rutæ, alliorum, ceparum. Ad eandem quoque rem cornu cerui suffitur. Paulus itidem lib. 3. c. 13. epilepticis, dum in accessione sunt, ad sensum mouendum reuocandumq; naribus adhibere præcipit peucedanum, cyrenaicum liquorem, bitumen, picem cedriam. Quæ sanè cuncta illis eo tempore auxiliari multorum experimento est obseruatum. Inest enim medicamentis ferè omnibus odor quidam ingratus, quem medicamentõsum medici appellare solent ob id, quia ab esculentorum odore diuersus maximè est; de quo loquens Aristot. 1. problematum. 43. sic ait, Malus odor medicamẽta comitatur, eo quod genus medicamentorum cibo contrarium est. Verùm odore isto in præsens omisso de reliquo verba faciamus, qui sanè nihil aliud est, quàm vapor

Quæ abvtero strangulatas excitent.

Odor medicamẽtosus ab esculentorũ odore maximè differt.

Fœtoris definitio.

Digitized by Google

por quidam ex putrescentibus corporibus sub-leuatus aërem inficiens,& odorandi sensum contristans. Plato in Timæo, fœtorem molestam sensationem ex putredine,vt plurimum ortam, & naturalem sensus symmetriam inimico quodam contrarioque ingressu euertentem esse protulit. Vnde vim quandã & molestum infert sensum, eundem autem sensum & bene olentis& male olentis esse, vt Aristote. tradidit, est manifestum. Fœtorem porrò hunc putredinis esse indicem multis in locis testatur Galenus:nam lib. 1. prognost.com.vlt.dicebat, superantem grauiolentiam putredinis esse, non concoctionis notam;atque ob id, inquit, ab Hippocrate dictum fuisse, pus optimum quam minimè fœtidũ esse debere. & libr. 2. eiusdem operis, com.22. ait, Graueolentia verò putredinis indicium est. &. 1. de crisibus lib.c.11. excrementum alui,quod vehementer fœtet, vehementem putrefactionem significare,manifestis verbis professus est.Et rursus cap.12. sequenti, odorem grauem vrinæ, putredinis esse effectum, scriptum reliquit. Nullo itaque certiori signo putredo in exterioribus deprehendi potest, quàm fœtore;atque ob id lib. de different.sympt.cap.4.corruptelam putredinemvè excrementorum fœtorem necessariò sequi affirmauit. Veruntamen obijciet aliquis, si fœtor semper putredinem comitatur,quomodo ab Arist.sectione.23.problematum problem.4. dictũ est,mali odoris causam cruditatẽ esse quãdam excrementi:nam quod tantum crudum est,

Fœtor putredinis indicium.

Obiectio.

nec

Digitized by Google.

nec putre, nec coctum dici debet, sed ab ijs longè diuersum. Cui dicendum, crudum etsi putre non sit, esse tamen ad putredinem paratum: nam cùm à naturali calore minimè euictum sit, reliquam habet ad putredinem mutationem; occupatum sanè promptè ab eo calore, qui præter naturam est, cùm sit nimirum putrefactio nihil aliud, quàm mutatio totius corporis putrescentis substantiæ ad corruptelam à calido extraneo, ita Galeno docente lib. 11. metho. c. 8. Arist. itidē lib. 4. meteororū. c. 4. putrefactionē proprij naturalisq; caloris in vnoquoq; humido existentis ab externa caliditate corruptionē esse scriptum reliquit: corrumpitur autē calor à calore, quoniam eum à mistione educit, ac exterius euocat: exhalante enim humido vnà calidum exhalat, & humidum à sicco separatur: quò fit, vt calidum innatum rei, quæ putrescit, in debita mistione elementa continere non queat. Vnde mistum per putredinem dissolui necesse quidem est; multò tamen celerius calidū, quàm humidum deperditur; quæ causa est, vt illud debile reddatur ad humidum collatum; quapropter humidum ipsum regere & gubernare non potens, putredo oritur, & mistio dissoluitur per putredinem, quæ contraria est simplici generationi misti: nam cùm in omni misto, vt Silvius ait, calidum tanquàm aliorum elementorum forma, aërem, aquam, ac terram velut materiam contineat, & concordi pace liget ac comitet, id si se ipso longè potentius euadit, cætera consumit, ac dis-

Solutio.

Putrefactio quid?

In cōment. in lib. priorem de differ. febrīū cap. 5.

Digitized by Google

ac dissipat; si languidius est, ac parcius, ijs continendis non sufficit. Humidum quoq; quod terram tractabilem ac formabilem reddit, si largius est, eam fluxilem, & dissipabilem efficit, ob id ea corruptionis seu elementorum dissolutionis alia est causa, & fiet putrefactio à calore languido elementa in mistione continere nequeunte, & humido quoque immodico ab eodem languido calore non gubernato nec recto; ex qua humidi à sicco dissolutione fœtor (de quo nunc nobis sermo est) concitatur: nam cùm in omni putredine discedat & separetur à sicco humidum, & foras euaporet, fit vt molesto sensu odoratum afficiat: ob causam verò contrariam in coctione gratus seu aromaticus odor progignitur, vt in fructibus ferè omnibus videre est, qui dum maturescunt, odoratiores redduntur: fit enim in eis odor suauis ac gratus ob eiusdem humidi cum sicco mistionem: nam in coctione humidum aqueum, aëreumque semper cum sicco terreo permiscetur, & vnitur, quemadmodum in putredine humidum à sicco separatur; ex hac quippe humidi agitatione, quæ in vtraque alteratione fit, in coctione dum sicco humidum permiscetur; in putredine verò, dum ab ipso separatur, odor consurgit ac emanat; in putredine molestus, in coctione gratus atque iucundus. Cuius rei causa est, quòd in putredine humidum nec vincitur, nec à calore superatur, sed eidem prædominás, ab ipso regulari non potest: at in coctione, cùm natiuus calor superior sit, humidum euincit & superat, & illud

Quo pacto fœtor concitetur.

Odor suauis quomodo gignatur.

Digitized by Google

illud probè moderatur ac regit, & ſicco vnit atque permiſcet. Accedit eò in coctione genuinũ caloré euincere; in putredine verò eum, qui adſcititius eſt, & præter naturã. Fœdi odores ſpiritus omnes labefactant, vires comminuunt, triſtitiam inducunt, febres excitant peſtilentes, aliaſque & præſertim putridas generant, recidiuas faciunt, ventriculum ſubuertunt; ac nutritionem vitiant, non ſolùm inſpirati, verùm etiam arteriarum motu per cutem intus attracti. Nam affirmari ſe audiuiſſe, ſcribit Siluius, robuſtum quendam, dum à parua ſphæra exercita calebat in periſterotrophio, quod in ſummis ædibus habebat, obdormiſſet, tractis à calido corpore, & corde, & arterijs etiam calidioribus largo aëre putri, non multo poſt elephanticum euaſiſſe. Sic qui in ſtabulo equorum, boum, porcorum, ouium, aſinorum, gallinarum, anſerum (præſertim moto ſimo) verſantur, aut in odore lixiuij, motis itidem linteis, promptè in febres, aliaque morborum genera dilabuntur, ac recidunt. Quo circa Gal. lib. 1. de ſanitate tuenda, cap. 11. optimũ aërem in pulmones attrahere omnibus iuſta ſalubre eſſe ſcriptum reliquit. Talemque fore ſi nec ſtagni ne paludis halitu ſit perturbatus, nec ex profundo ſpecu peſtilentem auram ſpirante infectus: nec qui ex cloacis quæ magnam aliquã vrbem aut numeroſum exercitum purgent vitium contraxit: nec qui ex animalium, olerũ, aut leguminum putredine aut ſimo coinquinatur: nec qui propter ſtagnum, aut flumen vicinum,

In cõmentarijs in lib. priorẽ de differ. feb. c. 6.

Periſterotrophion, Hiſpanè palomar.

Digitized by Google

nebulosus est: nec qui editis vndique montibus in cauo loco inclusus, nullum recipit perflatum: suffocans enim putrisq; est, similis ei qui in domibus quibusdã est inclusus, in quibus propter putredinem, & difflatus defectũ, plurimus aceruatur situs: huiusmodi enim aër omni planè ætati noxius est: sicuti qui purus omnino est, nulli non ætati est vtilis. Hæc Galenus. Ex quibus clarè intelligitur, quàm noxium sit in aëre putri versari, quamque periculosum in corpus per inspirationem, aut per transpirationem, quæ per totam agitur cutem fœtentes vapores attrahere. Libenter hîc præsenti tractationi colophonem imponerem, nisi indecorum videretur odore fœdo opus finire: quapropter conueniens mihi visum fuit, ad odorata iterum stilum conuertere, vt gratiorem exitum libro præbeamus; præsertim cùm ratio odora medicamenta præparandi, de qua sequens caput agit, ad operis huius perfectionem exigatur, & ad rectam medicamentorum compositionem sit necessaria.

¶ *De ratione coquendi, terendi, & reponendi aromatica medicamenta.* *Cap. XX.*

Li. 7. metho. c. 4. ARomatica medicamenta vocat Galen. spicam nardi, amomum, calamum aromaticũ, irydem,

Digitized by Google

irydem, labdanum, malabathri folium, ſtyracē, bdelium, opobalſamum, xylobalſamum, & reliquum huiuſmodi aromatum catalogum. Quæ ſanè cuncta tenui ſubſtantia conſtant, ſubtiliūq; partium exiſtunt; quemadmodum ſeptimo de ſimplicium medicamentorum facultatibus libro, titulo de calamo aromatico; & in arte medicinali. c. 95. auctor Galenus eſt: quāquàm in hoc, magnum maioris minoriſque diſcrimen habeatur: nam quædam rariori textura, & ſuperficiaria magis virtute ſunt prædita, alia denſiori, & virtute occluſiori, ſeu in interioribus plus delitescente conſiſtunt. Cognoſcemus autem medicamentum facile aut difficulter reſolubilem obtinere facultatem experimento iſto: Si namque illud manibus contrectetur; & protinus à modica contrectatione odorem proprium amiſerit, in ſuperficie aut vnà cum raritate multa vim obtinere indicium quidem eſt: ſi verò manibus contrectatum medicamentum, quantò magis id patitur, tantò vehementius proprium ſpirat odorem; ſuas in profundo vires repoſitas habere, eaſdemque admodum firmas oſtendit. Quod exemplis facilè innoteſcet; nam ſi ozimi folia modicè manibus contractemus, non multo poſt odorem prorſus deperdunt: ſimiliter etiam ſi violas per manus modicè ducamus, odorē breuiſsimè amittunt: & neſcio quid herbaceri redolent. Veruntamen ſi citri corticem, vel lauri, vel nardi folia pertractemus, quantò plus id facimus, tantò magis odorem proprium ſpirant.

Quomodo cognoſcatur an medicamentū facile aut difficulter reſolubilē habeat facultatem.

Digitized by Google

Vnde facilè colligimus, ozimum, & violas suas habere in superficie vires, easdemque languidas admodum: spicam verò, laurum, & citri corticē in centro magis, & illas non mediocriter firmas.

Aromatica medicamenta propè omnia, quia virtutem citò exhalabilē ac maximè resolubilē difflabilemque obtinent, parum diu, nec vehementer coquenda sunt, quod virtus eorum à coctione immodica facilè euanescat, qua propter in decoctionis fine, aut cùm ab igne medicamentum amouetur, sunt imponenda. Quæ Galeni est sententia lib. 6. de composit. medicamento. secundum locos. c. 1. titulo de mediorū pharmacorum compositione, vbi sic ait, Myrrham verò & crocum melius est in fine coctura inijcere, eò vsque cum alijs coquendo, aut olla in terram posita mouendo, donec probè omnia vniantur: amplior autem coctura ipsorum destruit facultatem aromaticorum medicamentorum. & paulò inferius subdit. Tēpus autem indendi ipsa nō est principium, sed vbi propè perfectè concoctum fuerit pharmacum; aut etiam penitus coctum, olla iam in terram posita; sunt autem hæc costus, amomum, & quod macer appellatur. Et iterum in eodem titulo de mediorum pharmacorum compositione citato addit, spuma argenti æquidem & plumbago, atque alia multa metallica per coctura meliora fiunt: crocus autem & myrrha, multaque alia aromata in decoquendo vires amittunt. Quod itidem lib. 2. de composit. medicament. per genera. c. 9. confirmat; quo loco me-

Aromatica medicamēta parū coquēda sunt.

Titulo, decoctio pharmaciex malis punicis.

Digitized by Google

co melini Serapionis ad vulnera emplastri compositionem docens, in hunc modum scribit, Postea verò, si vel thus, vel myrrham, vel aloem capiat, hæc inijcienda sunt, cùm medicamentum ab igne tollitur, vtpotè coctionem non ferentia. Propter eãdem sanè causam flores in decoctionis fine inijcere iubemus, quia hi aut nullam, aut exiguam admodum coctionem patiuntur; ob idque olea, quæ ex floribus componuntur, insolantur, non coquuntur; quia igitur coctura flores facilè euanescunt: idcirco postremi in decoctione mittendi veniunt. Itaque omnia ferè odora medicamenta propter vires suas promptè resolubiles, dissipariique faciles exiguam aut nullã prorsus decoctionem sustinẽt; sed, ferè, addidi, quia quæ ex eis fortem partium mistionem sortiuntur, aut vires in profundo sitas habent, vt lauri folia, schinantum, & chamæmelũ, decoctionẽ mediocrẽ ferre queunt. Fœtida tamen diutius ebullire oportet, modo nõ exigatur fœtor in affectu, cui medemur, vt in vteri præfocatione & nonnullorũ morborũ curatione. Porrò sunt & alia, quæ ne minimã quidẽ decoctionẽ ferunt, atque ob id longè à medicamenti ab igne separatione, antea quàm planè refrigescat, inijcienda sunt, vt moschus, ambarum, lapides pretiosi, & pulueres aromatici; quia in medicamentis, quæ igne coquuntur, maior calor, quàm sit tepens, aut vehementior, quàm is est, qui ex attrictu corporum duorum gignitur, talium medicamentorum vires dissipat, ac exhaurit; quapropter hæc aroma-

Flores inde coctionis fine inijci debent.

Digitized by Google

ta teruntur quidem, quãquàm minus quàm alia, non autem coquuntur, ſed reliquis iam dudum ab igne depoſitis, ac tepentibus miſcentur. Diximus minus, quàm alia odora medicamenta eſſe terenda, quia cùm tenuia raraque exiſtant, & facultatem ſuperficiariam ſint adepta, violẽto aut magis, quã par ſit, diuturno ictu facilè exoluuntur, celerrimèq; languẽt, meliore illorũ parte in tenuiſsimũ pollinẽ abeunte: accedẽte etiã & calore ex attritu corporũ durorũ genito imbecillam medicamenti facultatẽ diſsipãte. Porrò aromata craſſo modo, nec diu admodũ eſſe contundẽda cõceptis verbis ex Gal. elicitur lib. 7. de cõpoſit. medic. ſecundũ locos. c. 2. in cõpoſitione arteriacæ delingibilis. Et paulò ſupra eadẽ medicamẽta in cõpoſitionibus debere craſſa & integris partibus poni, ſcriptũ itidẽ ab ipſo eſt. Ob eaſdẽ ſimiliter cauſas prædicta medicamenta in denſis vaſis ipſorũ orificijs adſtrictis ſunt reponẽda, ne eorum virtus euaneſcat: ſed quoad fieri maximè poſsit; eadẽ perſtet, & ſeruetur, virtus nãq; vnita, vt Ariſt. inſinuat, ſeipſa diſperſa fortior habetur. Atq; hinc eſt, vt Dioſcorides flores, & omnia, quæ iucundũ efflant odorẽ, arculis tiliaceis nullo ſitu obductis ſeruare iuſſerit. & Hippocrates in vaſis terreis probè coctis in epiſtola ad Crateuã reponẽda eſſe cẽſuerit. Verũ de medic. collectione, electione, repoſitione, ac præparatione ſeorſim in alio libro ſcripſimus, qui, ſi Deo placuerit, aliquando prodibit in lucem: nunc verò operi præſenti finem imponamus.

3. de par. anima. c. 4 in fine.

In præfatione.

FINIS.

Digitized by Google

RERVM, QVAE IN HOC OPERE CONtinentur insigniorum copiosissimus Index.

A

Absynthium maximè ventriculum roborat, non amaritudinis, sed astrictionis ratione. Fol. 70.

Absynthium amaritudinis causa detergendi vim obtinet, non tamen vehementem. 71

Acerba quibus iucunda. 21

Acerba gustui grata non sunt. ibid.

Acerba quo gradu refrigerent, & siccent. ibid.

Acerba an stomacho sint conuenientia, & amica. 24

Acerbi & austeri temperies. 19. & 20.

Acerborum quædam esui apta, quædam verò inepta sunt. 21

Acerbum pro Austero quandoque sumitur. 6

Acerbum metaphoricè ad mores refertur. 17

Acerbum & Austerum dupliciter dicitur. ibid.

Acerbum etiam de dolore dicitur. ibid.

Acerbum cur ab Arabibus Ponticum nuncupetur. 18

Acerbum cur inæqualiter desiccet. 20

Acerbum refrigerat & exiccat. 19. & 21.

Digitized by Google

Acerbum & Austerum in quo differant. 6
Acerbus reliquorum saporum est veluti fundamentum. 16
Ex acerbo qui procreentur sapores. 55
Acerbus sapor in quibus rebus reperiatur. 86
Aceti aciditati cur acrimonia iuncta sit. 33
Acetosus sapor nō est simplex, sed permistus. 8
Acida frigiditas tenuium est partium. 28
Acida corpora duplicem acorem habent. 32
Acida pituita famem excitat. 34
Acida succum viscidum in ventre cōtentum incidunt, & deorsum subducunt. 35
Acida maciem & senium inducunt. 44
Acidi natura & effectus. 20
Acidi saporis vera generatio. 31. & 55.
Acidi facultas quæ. 34
Aciditatis qualitas quomodo generetur. 29
Acidorum noxæ qualiter reparentur. 44
Acidum à calore prouenire quidam existimarunt. 30
Acidum & acre à lingua percipitur: & mordacitas quæ vtrique communis est à tactu etiam sentitur. ibidem
Acidus sapor ex quo sapore generetur. 26
Acidus sapor quas sortitus sit qualitates. 27
Acidus sapor quantum obtineat frigiditatis. 29
Acidus sapor ex acerbo promanat. 55
Acidus sapor vbi potissimum inueniatur. 86
Acor qui à calore fit non omnibus est notus. 31
Acre & acidū in quo differant, & in quo conueniant. 77

Digitized by Google

Acria quæ dicantur. 72
Acria omnium sunt calidissima. 72.& 73
Acria quid efficiant. 73
Acria in quarto ordine calfaciunt. ibidem
Acria cur foris cuti imposita illam exulcerent: intus verò sumpta id efficere non valeant. ibid.
Acria etiam si sint calidissima, non tamen in eodem gradu siccitatem obtinent. 74
Acria pleraque humiditatem habent. 75
Acria cur capiti sint obnoxia. 76
Acrium illa esui apta sunt, quæ aliquantulum dulcedinis habent. 75
Acrium, quæ esui sunt inepta alia mortifera, alia verò medicamenta sunt. 76
Acrium vsus quibus non noceat, sed potiùs vtilis sit. 77
Acrium effectus & operationes. ibidem
Ab actione per se & non ex accidenti medicamentum denominatur. 89
Adeps dum inueteraſcit, calidior redditur. 52
Aër promptè fit ignis. 44
Aër quibus modis cõtingat aquã penetrare. 94
Aër per se solus & ab odore nudus spiritibus gignendis materiam suppeditat. 114
Aër respiratione attractus, vt salubris sit qualis esse debeat. 161
Affectio diuersa corporum in causa est, vt varij ab eadem re profluant effectus. 90
Alimenta atram bilem generantia cur tantoperè appetamus. 22
Alimenta acerba, vel alias qualitates præter dul-

 Digitized by Google

cem habentia, parum aut nihil nutriunt: & quę sit causa. 37.
Alimenta quædã cur alijs animalibus grata, alijs verò ingrata sint. 80.
Alimentorum duplex ratio. 38.
Alimentum debet esse compositum. 111
Allia & cepæ cur aëri & soli exponantur. 75.
Allium & cepa cerebrum perturbant. 76
Aloes lotæ vel non lotæ facultas. 88.
Amara, dulcia, & acria ex se calida sunt. 63
Amara corpora minimè putrescunt. ibidem
Amara intensa cuncta animalia exhorrent. 64.
Amara nutrimento animalium aduersa sunt: infantesque occidunt: & causa. 65
Amara potiùs medicinalia quã cibalia sunt. ibid.
Amara medicamenta intus & exterius applicata quid efficiant. 70
Amara quædam per assiduam macerationem insipida redduntur. 83
Amari facultas, & in quo ordine collocetur. 62. 63. & 66.
Amari effectus & operationes. 67. 68. & 69.
Amaritudo nũ in fructibus ex frigore proueniat, dulcedo verò ex calore. 14. & 15.
Amarum mẽdicamentum quatenus amarum calidum, licèt alia ratione possit esse frigidũ. 14
Amarum an odorum sit. 93
Amarus sapor in quo à salso differat. 62
Amarus sapor ex quo proficiscatur & generetur. 65. & 66.
Amarus sapor salso propinquus est. 66

Digitized by Google Ama-

Amarus ſapor in quibus exploretur rebus. 87
Apes ex longo loci interuallo mel dum elixatur odorant. 100
Apoſtema in hepate habenti nociua ſunt dulcia, & quare. 41
Aqua per ſe non nutrit, nec aër. 113
Archigenes à Galeni calumnia defenditur. 17
Ariſtoteles quos ſapores contrarios poſuerit. 12
Ariſtoteles non dixit, nares eſſe olfaciendi ſenſorium. 118
Ariſtoteles vbi odorandi ſenſorium conſiſtat, non declarauit. 119
Ariſtotelis cum Auicenna conciliatio ſuper contentione de natura pinguedinis. 48
Ariſtotelis cum Hippocrate conciliatio de odorum nutritione. 113
Ariſtotelis de lamininibus meatuum ad olfactus inſtrumentum attinentium ſententia. 130
Ariſtotelis ſententia circa olfactus inſtrumenta à Galeno refellitur. 131
Aromatica medicamenta quæ dicantur. 162
Aromatica medicamẽta quomodo ſeruãda. 166
Aromatica medicamẽta parum coquenda ſunt. 164
Aromaticis non largè vtendum. 76
Aſphaltites lacus nullum propter amaritudinem animal procreat. 64
Aſphaltites cur amarior æſtate quàm hyeme ſit. 66
Aſtringentium facultas & effectus. 23
Aſtomorum mores & victus. 112

Auditus

Digitized by Google

Auditus instrumentum. 135
Auerroes Galeno aduersatur in sapore amaro. 13
Auicennæ sententia de æris vsti sapore improbatur. 85
Austera gustui esse apta, quomodo accipiendum. 22
Austeri & acerbi temperies. 19
Austerum & acerbum duobus sumitur modis. 17
Austerus & acerbus sapor in quo differant. 6
Austerus sapor ex acerbo deducitur. 55
Austerus sapor quibus in rebus inueniatur. 86

B

BAsilisci & mustellæ antipathia. 155
Bilis admodum flaua, acris, & male olēs cruda est. 16
Bouis pinguedo qua sit prædita qualitate. 51
Brassicæ contrariæ operationes. 90

C

CAlidum quid operetur. 20
Calor fructibus vt matureſcāt causa est. 93
Calor si maiorem frigore actiuitatem habet ad

Digitized by Google

operandum, cur ambo eodem ferè tempore operentur. 78
Caloris actiuitas. ibidem
Caprini adipis natura. 53
Caro ossibus adhærens cur gustui suauior: & cer uina, caprina, & ex visceribus lien. 22
Cataplasmata detergentia, aut validius excalfa cientia pus non mouent. 51
Causa aciditatis lactis & ptisanæ succi explica tur. 31
Causa cur dulcia & pinguia in calidis naturis in bilem facilè vertantur, & sitim exitent. 44
Cedria quos effectus habeat. 91
Cerebrum in nobis humidissimum est. 127
Cibi dupliciter delectant. 38
Coctio calore perficitur. 13
Coctionis munus atque officium. 16
Color quando temperamentum indicet. 2
Color aliquandò humorum in corpore prædominantium index est. 110
Colore an rerum temperamenta possint cognosci. 109
Concharum marinarum succus ventrem soluendi vim obtinent, caro autem reprimit. 60
Concharum corpora cur in plenilunio incremen tum recipiant. 95
Consuetudo etiam venena familiaria efficit. 154.
Corpora à frigore contrahuntur. 20
Corpora cuncta ex quatuor elementis compo nuntur,

Digitized by Google

nuntur impari tamen mensura. 48
Corpora aquea nullum odorem emittunt. 59
Cruditas coctionis est priuatio. 15
Crudum quid. 16
Crudum an putre possit dici. 158

D

Definitio saporis ex Theophrasto & Aristotele. 5
Diaphana corpora odorē deferentia quæ sint. 93
Doctrinæ modi quot. 5
Dulce an nutriat. 8
Dulce somnum inducit. 34
Dulce est, aut aliquid dulcedinis habet quidquid nutrit: & ècontra. 37
Dulce viscera obstruit, & quare. 40
Dulce, cùm calidum sit, maximè nostri corporis naturæ congruit. ibidem
Dulce sub pingui interdum continetur. 46
Dulcedo quid in corpore efficiat. 40
Dulcedo fructuum ex calore prouenit concoquente. 14. 15. 21. & 39.
Dulcia cùm ori & palato sint iucunda à visceribus immaturè & incocta attrahuntur. 41
Dulcis succi oblectatio necessaria, & quare. 36
Dulcis sapor cur gustui iucundus. ibidem
Dulcis saporis temperamentum examinatur. 39
Dulcis frigidi & calidi natura. 45

Digitized by Google

Dulcis in bilem amaram facilis est transitus in naturis picrocolis. 42. & quæ sit causa. 44
Dulcis noxæ qualiter medeatur. 44
Dulcis sapor ex acerbo generatur. 55
Dulcis sapor quibus rebus insit. 86
Dysenterici ab acribus humoribus infestãtur. 53

E

EChinis quid in plenilunijs accidat 95
Edulia praui succi fugiẽda maximè sunt. 84
Emplastricam qualitatem quæ pinguedines habeant. 53
Emplastricũ medicamentũ quale esse debet. 51
Extrema in saporibus assignare difficile est. 11

F

FEbres tactu, sapores gustu sentiuntur. 6
Ficus obstructionẽ in hepate pariunt. 42
Flores odoratos Ægyptus nõ producit: & quare. 92
Flores in decoctionis fine quare inijci debeãt. 165
Fœtidi odores nociui. 161
Fœtidus odor & virulentus an sint idem. 156
Fœtor spiritus labefactat. 114
Fœtor putredinis indicium. 158
Fœtor quo pacto concitetur. 160
Fœtoris definitio. 157
Frigidi effectus & natura. 20

Digitized by Google

Fructus dum immaturi num frigidi, maturi autē calidi sint. 13
Fructus initio acerbi matureſcentes dulceſcunt. 21. & 55.
Fructus agreſtes odoratiores ſunt vrbanis & domeſticis: & quæ ſit ratio. 92
Fructuum maturitas quid. 13
Fumalis euaporatio temperamento euariat. 149

G

GAleni ſententia in ſaporibus contrarijs conſtituendis. 12
Galeni textus deprauatus emendatur. 93
Galeno aduerſatur Auerroes in ſapore amaro. 13.
Galenus odorum ſenſum in cerebri ventriculis anterioribus conſtituebat. 123. & quæ ad hoc abſurda ſequantur. 124
Γεῦσις quid. 49
Guſtus inſtrumentum eſt, ſapores decernens. 5
Guſtus natura cur nullius ſaporis ſit particeps. 79

H

HAlitu odorum gentes quædam viuere dicuntur. 112

Hippar-

Digitized by Google

Hipparchus panis odore triduo vitam protraxit. ibidem
Hirci adeps quam possideat qualitatem. 151
Hircinus adeps cur dysentericis tantopere prodest. 153
Hominibus an sit propriùs sine respiratione odorem non sentire. 144
Homo animalia cuncta in sensu tactus & gustus vincit. 103 & 199.
Humiditas cuiuscunque saporis vires hebetat, atque retundit. 185
Humor aqueus ad salsi generationem exigitur. 158.
Humores in corpore fiunt, non autẽ in alimentis continentur. 42
Hysterica mulieres. 139

I

Ecur cui vsui sit in corpore. 117
Insecta quare non respirent. 140
Insecta qua parte sentiant odores. 141
Insectum nullum respirare tenet Aristoteles. 139.
Insipida aquosa sunt, & quasi nulla qualitate ad gustum attinente prædita. 181
Insipida alijs indigent condimentis vt esui sint apta. 182

Digitized by Google

Insipida concocta difficilia sunt, & morbos tra-
ctu temporis afferunt. 83
Insipida nisi condiantur, stomachum subuertũt,
& vomitum mouent. ibidem
Insipidi genus aliud. 84
Insipidorum natura, & facultas. 81. 82. & 84.
Insipidum & reliqui sapores priuatiue opponun
tur. 6
Insipidum an inter saporum species sit connu-
merandum 6. & 79.
Insipidum quid. 79
Insipidum quotuplex sit. 81
Insipidum de genere dulcis esse dicitur, & quo-
modo in insipidum dulce mutetur. 81. & 82.
Insipidum odore caret. 90
Instrumenta sensus quæ sint. 118
Iordanis fluuius in lacum Asphaltitem influit.
64.
Iucundum duplex genere existit. 38

I

L

LAC quare repositum acescat. 26
Lac tempore æstiuo citius acescit. 28
Lac quid in sanis efficiat, si non bene concoqua-
tur, & quid si concoquatur. 43
Lac duplicem alterationem habet. 43
Lien cur ex visceribus gustui iucundior. 22
Lingua ab acerbo sapore exasperatur. 20

Digitized by Google

Lingua omnes saporum qualitates diiudicat. 37
Lingua cur rara sit. 48

M

MAgis & minus speciem non variant. 6
Maris pars terræ proxima cur dulcior sit 56.
Maturatio in fructibus coctio quedá est. 13. & 39
Medicamentorum nomenclaturæ non ex accidenti, sed de per se intelliguntur. 46
Medicamentorum actionem accidentalem ab actione per se quomodo discernamus. 89
Medicamentum ex plurium saporum mistione confectũ, mistã ex omnibus actionẽ edet. 87
Medicamentum mistam actionẽ edens, ex valentiori facultate denominationẽ sumit. 88
Medicamentũ quomodo cognoscatur an facile vel difficile resolubilẽ habeat facultatẽ. 163
Medicamentum cur aliquando per se, aliquando verò ex accidenti operetur. 90
Medicinales cibi quid efficiant. 38
Mel amarã bilẽ generat, & quandoq; luteam. 41
Mel propter acrimoniam calidius redditur. 50
Mel dulcem saporem obtinet acrimonia permistum. 86
Melancholica alimenta maximè appetuntur, & quare. 33
Melancholia an acerba dicenda sit. 24

Digitized by Google

Melancholia quas habeat qualitates. 25
Melancholia duplex est. ibid.
Mixti sapores in nonnullis medicamentis inueniuntur. 9
Mixti sapores per simplices dicernuntur, & quo modo. 86. & 87.
Mixtum per putredinem dissoluitur. 159
Mithridates corpus venenis assuefecit, & quid de hoc senserit Galenus. 154
Mordicatio quibus saporibus sit communis. 29
Moschus vbi collocatus recuperet pristinū odorem, & causa. 149
Motus est in fructibus ab acerbitate ad dulcedinem, dum maturescunt. 23

N

Nares non sunt olfaciendi sensorium: quod rationibus confirmatur. 120
Narium vtilitas. 119
Natura semper propter finem operatur. 117
Nitrosus sapor ad salsum refertur. 61
Nuces languidè excalfaciunt. 56
Nuces capitis dolorem excitant. ibidem
Nutritio quid sit. 37. & 113
Nutritio ab odore proueniens tenuis & exigua est. 116
Nutriuntur omnia ex eisdem ex quibus sunt. 113.

Digitized by Google

O

Occasiones quæ Auctorem impulerint ad scribendum de hac re. 3
Oculi à quibus lædantur. 76
Odor est vaporosa substantia. 59
Odor vbi sapor est inuenitur, quia insipida odore carent. 92
Odor cui sapori præcipuè insit. 92
Odor per corpus diaphanum diffunditur. 93
Odor fumus est aut caligo. 97
Odor etiam per aquam diffunditur. ibidem
Odor secundum Platonem & Aristotelē quid. 97. & 113.
Odor calore excitatur. 98
Odor vaporosa quædam defluxio est. 99
Odor non esse fumalem euaporationem aliqui defendere rationibus conantur. ibidem
Odor an nutriat, & quid de hoc Aristoteles senserit. 111
Odor spiritus reparat & reficit: & quòd nutriat exemplis comprobatur. 115
Odor mediocrem calorem desiderat. 143
Odor medicamentosus ab esculentorum odore maximè differt. 157
Odor suauis quomodo gignatur. 160
Odorabilium vaporosa est substantia. 98
Odorandi instrumentum vbi collocetur. 118. & 123.
Odoratus instrumentum quale esse debeat. 121

Digitized by Google

Odoratus sensorium an foramina habeat aperta, vt sentit Aristoteles. 131
Odoratus instrumentum. 135
Odorem fumalem esse euaporationem probatur. 101
Odorem, austerum, acerbum, salsum aut amarũ dici, Galeno non placet. 108
Odorem nutrire sensit Hippocrates aduersus Aristotelem. 112
Odores cum saporibus proportione quadã conueniunt. 91
Odores graues caput lædunt. 105
Odores cur incertius rei temperamentum ostendant. 109
Odores frigidi & calidi quomodo examinẽtur. 147.
Odores his animalibus grati, illis infesti sunt. 155
Odoris fundamentum siccitas. 92
Odoris natura & essentia. ibidem
Odoris euaporatio vtrũ sensorium olfactus pertingere queat. 104
Odoris temperamentum quale sit. 146
Odoris efficiens causa quæ. 148
Odorum cum saporũ materia in hoc opere coniungitur, & quare. 3
Odorũ species vtrũ saporum speciebus respondeant. 108
Odorum vsus & vtilitates quot. 151. & 152
Oleosum pingue quid efficiat. 51
Oleum ex quo perspiciatur esse tenue. 48
Oleum ex quibus rebus conficitur. 87

Olfa-

Digitized by Google

Olfactus sensus in homine remissior est cõpa-
rium animalium sensu. 302
Olfactus sensus quare à natura datus. 138
Olfactus sensus offẽsus ac lęsus mouet nos duo-
rum alterum facere. 138
Ordine primo calfacientia quæ dicantur. 50
Ordinis tertij pharmaca manifeste alterant. 69
Os cribroides cur foramina recta non habeat,
sed obliqua. 129
Ossa sensus sunt expertia. 120
Oxalide siue oxida quid. 86

P

PÆdareti facetum dictum. 3
Pestem ex Æthiopia ad Græcos venientem
quomodo repulerit Hippocrates. 152
Pilæ odoriferæ confectio aduersus pestem. 153
Pingue quia sub dulcis genere continetur, nutrit.
45.
Pingue cur densum sit, cùm sit leue & calidum.
47.
Pingue cur fœdum non expiret odorem. ibid.
Pingue leue est, & quare. ibidem
Pingue duplex est. 49. & 50
Pingue primum ordinem calfacientium nó tran
scendit. 50
Pingue suppurationem promouet. 51
Pingue quid in nobis efficere queat. 53

Digitized by Google

Pinguc ventriculo incommodum est. 54
Pinguedinis natura, & si frigidam & calidam aliqui putarint, calida & humida est. 46
Pinguis sapor quid. 7
Pinguis sapor ex quo generetur. 55
Pinguis sapor quibus in rebus inueniatur. 87.
Pisces an odorent: vbi Plinius Aristoteli aduersatur. 94. & 141
Pisces an respirent, & dormiant. 94. & 143
Pisces an audiant. 96
Pisces quidam respirationem habent, & quare. 141. & 142.
Pituita per vlteriorem coctionem in sanguinem mutatur. 27
Pituita acida reddit homines famelicos. 34
Ponticus sapor quid. 18
Processus mammillares in cerebro quid. 126
Prisanæ succus tempore æstiuo citius acescit. 128.
Purgantia medicamenta quomodo calore operentur. 85
Putrefactio quid. 159.

Q

QValitates secundæ & tertiæ quæ dicãtur. 1
Qualitates intentionales nõ mouentur, nec ventis impediuntur. 101.

Digitized by Google

Qualitates intentionales an temporis momento per medium diffundantur. 102
Qualitatum omnium sapores melius medicamentorum temperamenta commostrant. 1

R

RAtiones quibus probatur, nares non esse olfaciendi sensorium. 110
Respiratio necessaria ad olfaciendum est. 118
Respirationem an habeant animalia insecta. 139
Respirationis beneficio carentia animalia an odorare possint. 139. & 140
Respirationis instrumenta. 140
Ructui acido à causa calida deducto qualiter mederi possit. 32

S

SAl cur igni admotum crepitet. 58
Sal omnium edulium condimentum est. 59
Sal cur putredinem prohibeat. 60
Sal quibus corporibus ne putrescant sit vsui. 61.
Saliti panes cur minus ponderent, quàm non saliti eiusdem quantitatis & mensuræ. ibidem
Salsa sitim excitant. 54

Digitized by Google

Salsa stomachum lædunt, & oculis officiunt. 44.
Salsa cur magis sitim excitent, quàm amara, cùm illa humentiora, & minus caloris habeant, quàm hæc. 59
Salsa cuncta inodora sunt, & quare. ibidem
Salsa magis penetrant, quàm amara. 60
Salsa pituita an maiorem sitim inducat, quàm bilis flaua incertum est. ibidem
Salsi facultas & generatio. 57. 58. & 60
Salsum ex amari resolutione in insipido aquæo prouenit. 58
Salsum in dulce quandoque mutatur, & nó contra, & quæ sit vtriusque ratio. 56
Salsum in quo caloris ordine collocetur. ibid.
Salsus sapor dulci calidior est. ibidem
Salsus sapor vbi præcipuè reperitur. 87
Sanguis à dulci vitiatur. 44
Sanguis quem obtineat saporem. 87
Sapor pinguis quid. 7
Sapor pinguis cur à Platone prætermissus. 7
Sapor acetosus ex acri & acido componitur. 8
Sapor pinguis in calore dulci proximus est. 11
Sapor acetosus reliquorum est fundamentú. 16
Sapor acerbus cur ab Arabibus ponticus appelletur. 18
Sapor ponticus quid. ibidem
Sapor cur à nobis certius percipiatur, quàm odor. 109
Sapores medicamentorú temperamenta ostendunt. 1

Digitized by Google

Sapores octonario numero cõprehendũtur. 5
Sapores mixti in quibusdam inueniuntur medicamentis. 9
Sapores singuli quomodo explorari debeãt. ibi.
Sapores contrarij ex Galeno. 12
Sappores contrarij secundum Aristotelem. ibid.
Sapores omnes misti ex vincente qualitate denominationem sumunt. 88
Saporis definitio ex Aristotele. 5
Saporis definitio ex Theophrasto. ibidem
Saporis instrumentum gustus. ibidem
Saporum cognitio vtilis ad medicamentorum & alimentorum vsum. 3
Saporum numerus & species. 5
Saporum temperamenta. 10
Saporum extrema collocare difficile. 11
Sensorijs cunctis quid commune habeatur. 134
Sensus à sensili præsente immutatur. 103
Sensus est susceptiuũ formarũ sine materia. 103
Sensus olfactus offensus ac lesus mouet nos duorum alterum facere. 138
Sensibus humanis nonnulla infesta aliorum animalium sentibus iucunda sunt. 80
Sensuum instrumenta. 117
Et quid per sensus instrumẽta intelligatur. 118
Sensuum quis maiori & quis minori afficiatur dolore. 137
Sentire pati quoddam est. 108
Sesami natura & effectus. 54
Seuum quid. 49
Species saporum quæ & quot. 5

Digitized by Google

Stomacho quæ conueniant. 24
Stomachum pinguia subuertunt, & quare. 54
Strangulatas quæ ab vtero excitent. 157
Stypticum quid. 28
Succi acidi sunt donec à calore cõcoquantur. 26
Succus prauus pingue prius sumptum corrumpit. 44
Suppurantia & emplastrica & calfacere est necesse. 51.
Suppurationi quæ apta sint, & quæ nõ. 51. & 52
Suilli adipis facultas. 53

T

TActus sensum homo exactissimum habet. 103. & 125.
Tactus cæterorum sensuum principium est & fundamentum. 125
Tauri pinguedo qua facultate sit prædita. 51
Temperamenta medicamentorum per sapores potius, quàm per alias qualitates cognoscuntur. 2

V

VEnena frigiditate internecãtia sunt opium & cicuta. 88
Ventriculi oris cum lingua consensus: & causa assignatur. 36

Digitized by Google

Ventriculo qui ſucci ſunt neceſſarij. ibidem
Ventriculus ſuccos ſibi neceſſarios appetit præ-
cedente linguæ iudicio. ibidem
Ventriculus cur à natura datus. 116
Veſalij ſententia de odoratus inſtrumento. 125
Vini varij effectus, & ratio. 90.& 91
Vinum qualiter in Aſia conſeruetur. 31
Viſcera cur dulci alimento obſtruantur. 40
Viſus inſtrumentum quid. 135
Vituli marini natura. 143
Vnctuoſum pingue quid efficiat. 53.& 54.
Vterus quare odoribus moueatur. 132
Vultures efficaciſsimo odoratus ſenſu vigent.
100.
Vultures ſepulchra animata dicti. 104

FINIS.



Digitized by Google